HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ ... CLASSIS UMBELLIFERARUM EMENDATA:...

Heinrich Johann Nepomuk von Crantz

Digitized by Google

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAIESTAT. CONSILIARII, INSTITVTIONVM MED. ET MATER. MEDIC. VINDOBON. PROF. PVB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ET SOCIET. BOTANIC. FLORENT. SODALIS

CLASSIS VMBELLIFERARVM

EMENDATA

CVM GENERALI SEMINVM TABVLA ET FIGVRIS AENEIS

IN NECESSARIVM

INSTIT. REI HERBAR.

SVPPLEMENTVM.

LIPSIAE

IMPENSIS IOANNIS PAVLI KRAVS

MDCCLXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

VMBELLIFERIS

DISCVRSVS.

Umbelliferas, aut Umbellatas, vaſtam eam ſtirpium gentem, quae quaſi in umbraculis, ſeu umbellis ſuam circumgeſtaret fructificationem, vocavere Botanici; ſed quoniam tamen naturae longe diverſae ſtirpes umbellas facerent, umbellatarum conceptus arctioribus cancellis coanguſtatus fuit ab his, ab aliis ſubdiviſus, aut dilatatus. Sapienter admodum CAESALPINVS umbellatam ſolum eam dixit plantam, quae et umbellam haberet, et ſemina ſub ſingulo floſculo coniuncta duo contineret, haud adeo aſtutus MORISONVS fuit, qui et CAESALPINI definitionem pro ſtricte umbellatis aſſumpſit, inter improprie umbellatas vero, Valerianas varias, Pimpinellam SANGVISORBAM FILIPENDVLAM, BARBAM CAPRAE, et THALICTRA

locavit, non ſecutus eſt RAIVS, nec quisquam alius. TOVRNEFORTIVS maiori adhuc licentia uſus, umbelliferis SANICVLAM, ERYNGIVM, HYDROCOTILEM inſcripſit, de SANICVLA, quod benefecerit, dubium non eſt, de HYDROCOTILE definire non poſſum, quod noſtrarum regionum civis non ſit, ſed in ERYNGIO clarum eſt, erraſſe, dum CAESALPINVS hoc inter Acarnaceas, inter capitatas MORISONVS, et vltimo etiam RAIVS, MAGNOLIVS, HERMANNVS, BOERHAAVIVS, et alii plurimi referrent; dum, cum umbelliferis id demum ſolum commune haberet; quod ſemina ſub ſingulo flore duo coniuncta gereret, ipſum tamen proprie umbellatum non eſſet. LINNAEVS, TOVRNEFORTIO, quem ſecutus eſt, laxior, umbellatas ſtirpes in eas, quae ſimplici umbella et illas, quae duplicata conſtarent, diviſit, et praeter TOVRNEFORTII genera, adhuc ARCTOPVM, ASTRANTIAM, PANACEM, ARALIAM, PHYLLIM, CORNVM, titubante ſententia Umbelliferis adiecit, atque ſic ideam umbellati floris exſcindens, cum umbella Cymam pro ſuo more confudit; Eſt tamen cymae alia, alia umbellae idea, ut merito optandum veniat, ſuis in definitionibus conveniant Botanici: donec definierint, CAESALPINVM ſequar, et pro perfecte umbellata planta duo requiram; Pri-

mum

mum quidem, ut umbellata ſit, alterum, ut duo ſub ſingulo floſculo pentapetalo, ſemina coniuncta gerat; quas enim alias umbellatorum proprie dictorum florum proprietates LINNAEVS poſtulat, inutiles deprehendas, aut deſperatas: ad quid enim *ſtamina quinque* obſerves, quae decidua rarius videas, aut *piſtillum bifidum*, quod in noſtrarum regionum umbelliferis floribus, adeo non obſervavi, nec in Helveticis HALLERVS, nec in Göttingenſibus ZINNIVS, nec in Suecicis (confido) ipſe LINNAEVS.

Quoad Umbelliferarum clariorem diviſionem, ſcire iuvat, nihil CAESALPINVM contuliſſe, MORISONVM quidem laborem improbum, et ſuis temporibus magnum, ſed noſtris difficilem nimis, et inanem; non mutaſſe RAIVM. Felicior PAVLVS HERMANNVS in tres ordines omnes umbelliferas revocavit, in eas nempe, quae I. Seminibus canaliculatis, II. quae villoſis ſ. echinatis, III. demum quae latis et depreſſis conſtarent; dum MAGNOLIVS in quatuor diſtribueret; I. in ſtriato, II. in lato, III. in echinato, et IV. in longo ſemine gaudentes. Reliqui Botanici celebriores, hos ſecuti ſunt, nam et HERM. BOERHAAVE, MORISONIANI laboris partem amplexus, diviſionem umbellatarum ex foliis ſtatuit, et in hac re merito ſolus fuit. TOVRNEFORTIVS diſtinctiones ſeminum nimium amplificavit, quas

Digitized by Google

iterum aſtutior RIVINVS contraxit. Priorum omnium laborem male neglexere alii, ita fecit RVPPIVS, et qui hunc virum ſectati: KNAVTIVS petala attulit non ſatis definienda, quae, etſi in minutulas menſurarum particulas (fractionem vulgus appellat) analyticus reſolverit LINNAEVS, non ideo tamen aut commodius, aut fecit prudentius, dum inaequalia in CONIO, parum inaequalia in SELINO, fere aequalia in IMPERATORIA et in PIMPINELLA ſubaequalia, quae edixerat petala definire arduum, et facto per omnes ſpecies edicti authoritatem comprobare impoſſibile.

Et haec fere horum temporum erat Umbelliferarum in ſuos ordines diſtributio, dum involucra minus certa prioribus criteria induceret ARTHEDIVS, qui, etſi nos multis difficultatibus implicaret, ſtatim tamen infirmae novitatis admiratorem LINNAEVM habuit, non HALLERVM, nec quempiam alium; nam, et qui ſucceſſere Botanici facile perſpexere, hac in re ſerii nihil eſſe, et Umbelliferas HALLERVS, tum ex figura ſeminis, tum ex illa petalorum, ordinare aggreſſus eſt, involucra potius moris recepti iam, quam certitudinis cauſa adiiciens, et HALLERO, et LINNAEO ſobrie utens ZINNIVS petala neglexit, et involucratas ſtirpes, quas multo myſterio in ordines duos ſepararat ARTHEDIVS, coniunxit. Nuper-

perrime BOEHMERVS involucra Arthediana, et Linnaeana nimis variare, et vix ſemper eſſentialia eſſe, in *definitionibus generum plantarum Cl.* LVDWIGII non ſane ex hypotheſi, ſed ex longa obſervatione reliquit. De aliis vix attinet dicere, neque de certa, aut incerta praecedentium omnium methodo, ſed de ea ARTHEDII ſolum, cum et in morem deducta ſit, et Clariſſimi viri approbationem habeat non ſatis iuſtam, ut demum adpareat, et lanam caprinam magnam hodie poſſe fieri rem, dummodo famuletur authoritas.

Et primo evidens eſt, eorum generum, quae vel ARTHEDIVS, vel LINNAEVS habent pauca, ea, quae ipſi dicunt involucra conſtanter habere, conſequenter haec ex iis definiri, et cognosci regulariter non poſſe, ad demonſtrationem procedo eundo per ſingula. BVPLEVRA L. perſonata ſaepe incedere in Helvetia HALLERVS vidit, et monuit. HERACLEA L. etſi ſubnatorum involucrorum defluxum patiantur, ſaepe tamen nullum, quod defluat, habent, ut HALLERVS obfirmat, obfirmat et GMELINVS, ſaepe etiam Ego vidi: et caruit OENANTHE ſaepius involucro univerſali, ut eſt Auctor GMELINVS, et raro admodum in CAVCALIDE *Leptophylla* utrumque involucrum invenio, aut in *grandiflora* univerſale pinnatifidum, in qua etiam ipſum univerſale perpetuum eſſe, negat HALLERVS; dum a

Leptophylla conſtanter abeſſe aſſervit, ut etiam hanc CAVCALIDEM *involucro generali nullo laſciniis foliorum peranguſtis* dignoſci facile autumet. Nec in PEVCEDANIS LINNAEI, ATHAMANTIS, aut SELINIS eiusdem, maiorem involucrorum conſtantiam, attenti obſervant; nam et PEVCEDANVM *ſilaus* ſine involucro univerſali vidit GMELINVS in Sibiria, et HALLERVS in Helvetia, et alii in Auſtria ſaepe, vidit et PEVCEDANVM *officinale* unico ſolum inſtructum foliolo prior, et ATHAMANTHAM *libanotidem* L. iam tredecim foliolis involucrantibus, iam duobus ſolum aut tribus, interdum etiam nullo, magna, aedepol inconſtantia cingi. Porro et ſelino *paluſtri* defuiſſe totum univerſale involucrum idem, quid? quod et primum ſuum SELINVM, quod eſt *Sylveſtre* LINNAEI, hac definitione, *Selinum radice fuſiformi multiplici involucro univerſali nullo* cognoſcendum proponat HALLERVS. Obſervavi ſaepius variare ATHAMANTHAM *cretenſem* L. *Cervariam* L. Botanicos ludere, et in LASERPITIIS diverſis L. involucra univerſalia incraſſato radiorum receptaculo, nulla vidi; adhaec ANGELICA *ſylveſtris* ſemper nuda in Auſtria eſt, nunquam tecta in meis iisque frequentibus obſervationibus, plusquam quinquaginta plantarum in Maurbach, Petronel, Neuſtadt diſſitis ſane locis lectarum, et torquem involucrantem LINNAEI in ſibirica

planta

planta nunquam invenit GMELINVS. Neque aut torquatum ſemper CONIVM L. cernere HALLERVS potuit, aut BVPLEVRVM ipſe LINNAEVS, aut unico ſolum collari, ſive univerſali, ſive particulari inſtructum, aliqua modo vice, SISON *canadenſe* ZINNIVS.

Nunc tamen certum eſt, haec omnia genera huic ordini, qui involucro tam univerſali quam particulari gaudeat, inſcripta ideo eſſe, ut facilius erui poſſint, has ſpecies his generibus aut certius cognoſci; quare nec commode, nec ſapienter, nec conſulta natura ARTHEDIVS fecit, quod ex paucis particularibus ſpeciebus, quibus conveniebant haec involucra ordines, et genera earum fecerit ſtirpium, quibus eadem non convenirent, fecere tamen peius adhuc alii, qui in maiori luce coeci, illum ſecuti.

Secunda eorum, quae involucro univerſali careant, et ſolo particulari gaudeant, diviſio generum non minus natura vacua eſt; et quidem CICVTAM *viroſam*, quam nudam conſtanter Botanicus fecit, interdum una duabus, tribusve ligulis natura induit, ut deprehendit in Sibiria GMELINVS; eandem in Helvetia fere ſemper coopertam, raro nudam HALLERVS vidit ſtirpem, ut etiam de hac loquens dicat „umbellae et generales, „et ſpeciales habent involucra, illae paucifo„lia latiora, hae multifolia anguſta„ quid? quod

quod nuperrime ipſe de natura plantae ſuae certus ZINNIVS, in characteriſticum CICVTAE *viroſae* L. in agro Goettingenſi creſcentis ſignum, involucrum univerſale latifolium reflexum, confidentiſſime propoſuerit, ſicque in Suecia creſcentem plantam in ſcenam publicam invitus dederit; ea demum eſt vis veri, ut qui obſervat, aliter quam obſervet, referre non poſſit, velit, nolitve ARTHEDIVS, aut LINNAEVS, haec ita, aut alio demum modo conſtituta eſſe involucra. PHELLANDRIVM *mutellina* L. in umbella generali unum foliolum involucrans gerere ſaepe vidi, et GMELINVS habet. SESELI *annuum* SESELI *articulatum* involucrari novum non eſt amplius; et SCANDICEM *Cerefolium* ſaepius torquatam quam torque carentem deprehendi; ſic et noſtratibus dictum SCANDICEM *antriſcum*. Ipſa etiam CHAEROPHYLLA uno alterove foliolo frequenter cinguntur. Poſſem adhuc adiicere de IMPERATORIA obſervationem, ſed ſatis dixi in ſecundum ARTHEDII torquatum ordinem, ut commonſtrarem, inter octo genera huic claſſi inſcripta, ſolum eſſe cum AETHVSA, CORIANDRVM, quod ex hoc expungi ordine non debeat.

In ordine demum eorum generum ultimo, quae abſolute nuda ſunt, natura non adeo variare videtur, quanquam et PASTINACA GMELINI multae ſit inconſtantiae ſtirps, nam licet involucrum generale *plerumque* nullum

lum habeat, *interdum* tamen duobus tribusve fa-ctum foliolis gerit, et particulare *ſaepiſſime* uno, duobus, tribus, quod interdum etiam totum deficit. LINNAEVS plantam quam ob involucri utriusque inconſtantiam ordinare non potuit, prudenter omiſit. Dum nec ipſis quidem HERACLEIS, (*Sibiricum* enim non eſt) ad quae tamen ſpectare videtur ob involucri partialis frequentem ecclipſim, inſcribere poſſet. Rarioris tergiverſationis exemplum CARVM *carvi* eſt, vidi tamen involucratum ſaepe, et RIVINVS habet, ſed etiam vidi omni involucro carere, et vehementer miſeret me APII *paluſtris*, quotiescunque video tam univerſali quam particulari barba inſtructum, ab ARTHEDIO et LINNAEO inter imberbes cogi, et nihil apud hos viros omnium pene Botanicorum libellos ſupplices et figuras valuiſſe, qui etſi in pluribus ſtirpibus involucra omiſerint, huic tamen unanimi conſenſu, quod nimis evidentia eſſent, appinxere, ita perpetuo C. B. in *Commentar.* DODONAEVS in *pemptad.* LOBEL. in *iconibus* et TABERNEMONTANVS, et MORISONVS et alii in ſuis operibus habent; modeſte, obvia mihi ſaepe, etiam in ſubalpinis aquis planta, et in ſcrobibus inſularum danubialium praeſertim in Tabor, etiam ad viam regiam Nusdorffenſem, et danubium KRAMERO, in *Enumeratione ſtirpium auſtriacarum* omiſſa eſt; non potuiſſet enim LINNAEANO APIO com-

comparari, hinc nec ordo teneri, nec demum unquam planta ipſa cognoſci.

Atque haec ab HALLERO et GMELINO et a me ipſo obſervata naturae, ſi ita loqui licet, frequens diverſarum ſtirpium perſonatio, evidenter commonſtrat, et de involucris umbelliferarum non attente cum ab ARTHEDIO, tum a LINNAEO conſultam naturam fuiſſe, aut demum ſi Clariſſimis his viris ita in Suecia viſa (quod credere volo) aliis in aliis regionibus non eandem larvam obtuuliſſe, non debuiſſe igitur, nec hodie poſſe, ni me demum omnia fallant, ex illis definiri umbelliferas partibus unquam, in quibus adeo inſtabili forma ludat, tergiverſetur ſemper.

Atque inde generalis illa determinandi umbelliferas calamitas, tot erroribus obfirmata, implicita difficultatibus, ut ni ultimo ex icone qualicunque, etiam miſera I. B. aut parum meliore CLVSII aut alterius Botanici, aut demum ex ſemine propius aliquantulum planta interdiſtinguatur in deſperationem Botanicum coniiciat, et omni ſcientiae aut demonſtrationis praecluſa via, ſolum hariolandi campum illi relinquat, inde vel nova genera conſtituat, vel miſceat quadrata rotundis, ut in CARVIFOLIA I. B. clarum in ipſo LINNAEO exemplum: non alios quam ARTHEDIANOS ipſos huius veritatis teſtes poſtulo locupletiſſimos, illos nempe, qui ex magiſtri

pro-

Digitized by Google

prototypo demonſtrative plantas cognoſcere volunt, alios enim qui de magiſtri ſcientia ſecuri, per traditionem, empyricam ſolum habent cognitionem et plantas ſolum enumerant, non deſcribunt, non moror; et hi unanimi voce cognitionem umbelliferarum difficillimam imo impoſſibilem ſtatuunt, et proprio edoctus labore affirmo, ex ſola decima novi ſyſtematis naturae eaque tamen reformata editione Botanophylum nunquam umbelliferas determinaturum, licet etiam in conſumationem ſaeculi vitae illius dies prolongarentur. Sed quid vatidico ARTHEDIANO torque opus? dum in pluribus aliis umbelliferarum partibus et conſtantior natura eſt et diſtinctius obſervabilis; non adeo laborioſo ſane ingenii partu potuiſſent umbelliferarum ordines ex radice vel capillata vel nuda ſumi, ordinum ſubdiviſiones ex differentia caulis, qualem laborem etiam nuper cum ſucceſſu tentavi, plus naturae et conſtantiae naturae ARTHEDIANO habentem et communicare poſſem, ſi laevis rei auctor eſſe geſtirem, ſed malo veterum veſtigia premere, et ex infallibili ſemine definire, vt id in opere patebit.

Fuit adhuc aliud calloſum admodum, quo minus umbelliferarum recte evoluta daretur cognitio, obſtaculum, generum multiplicitas veteribus adeo exculta nec ſatis caſtigata recentioribus: CAESALPINVS Patrum genera fere omnia congeſſit, alii imitati ſunt,

nec

nec evitare potuit MORISONVS, quod cum figura ſeminis folia conſideraret, quae ſi eſſent aut faeniculacea, aut lobata, aut multifariam diviſa, aut peculiare referentia, iam alia depoſcebant, quam ipſa ſemina, genera, quae in immenſum adhuc multiplicavit. Ex aliis ad ARTHEDIVM vix alicuius momenti quisquam aliquid mutavit, is vero quanquam multa contraxit, nec ideo prudentius fecit, quod et illorum, quae contraxit, plurima diſſolvi cupiant, alia etiam num inutilia plurima ſervaverit, incertae ſuae involucrorum diviſioni ſerviliter nimis obediens; namque ut demonſtrando potius, quam ratiocinando rem commonſtrem, reſpondeant Arthedianae diviſionis umbelliferarum non ſatis iuſti admiratores, cur in primo ordine involucro utroque gaudentium generum PEVCEDANVM, in ſecundo, involucro ſolum partiali inſtructorum, *Carvifoliam* I. B. ſub genere SESELI, in tertio demum eorum generum ordine, quae utroque deſtituerentur involucro, PASTINACAM locarint? ex ſola involucrorum ratione reſpondent; dum tamen ex eadem involucrorum gravi aedepol ratione, tam *Silaus* quam *Officinale* involucris univerſalibus exuta in Obſervationibus *Cl.* Virorum HALLERI et GMELINI etiam meis, PEVCEDANA, a PEVCEDANIS aliis ſolvere debuiſſent, et vel relatae inique inter SESELI *Carvifoliae* inſerere, vel novo nomine proponere; dum tamen

men ex eadem involucrorum gravi ratione, etiam partiali deſtitutum SESELI *carvifolium* involucro ex meis obſervationibus, eſſet illis ex SESELI eximendum et novo iterum genere proponendum; etiam ipſa GMELINI PASTINACA ſupplementi loco, trium ordinum ARTHEDII appendici inſcribenda, utpote quod tantopere in utroque variaret involucro, nonne et HERACLEA, OENANTHES, ſuis ſedibus excutere debuiſſent, ſi modo involucrorum rationi ſtetiſſent? ipſas adeo firmo iunctas vinculo CAVCALIDES diſcerpere, ATHAMANTAS, SELINA turbare, disiicere ANGELICAS, et cum BVPLEVRO et SISO et APIO *paluſtri* multum et diu rixari, et nova demum genera, SPHONDYLIVM ab HERACLEO, ECHINOPHORAM a CAVCALIDE, LIBANOTIDEM ab ATHAMANTA, THYSSELINVM a SELINO ELOEOSELINVM ab APIO diſtincta involucris, reſtituere, et patrum, quam evitare non potuere, ſervare barbariem.

Primorum igitur illam botanices, qua ſingula etiam nomine generico ſpecies donabatur, confuſionem non evitavit aſtute, licet eam ipſam emendaſſe velle videatur ARTHEDIVS, ſatis enim adparet easdem ſpecies modo torque ornatas, modo torque exutas; aut alias a congeneribus torque diverſas nec eidem ordini, nec generi eidem inſcribi ab illo debuiſſe, nec, ſi modo aliqua eſt in

 ipſis

ipſis involucris aut fiducia, aut poteſtas, aut ARTHEDII in haec minima etiam pietas, ab illo cogi unquam poſſe, conſequenter ex ſancto cum involucris foedere, genera illi multiplicanda potius fuiſſe, quam contrahenda; cum tamen plurima contraxerit, et *Sphondylium* HERACLEIS, et *Echinophoram* CAVCALIDIBVS, et *Libanotidem* ATHAMANTIS, et *Tyſſelinum* SELINIS, et *Carvifoliam* SESELI, et *Eloeoſelinum* APIO, et alia aliis intrudederet, magnum laevitatis ſcientiae exemplum dedit, et contra legem torquatam, quam ipſe conſtituerat primus, quam aliis religioſe obſervandam propoſuerat, quam adeo mirabatur optimus LINNAEVS, conſtanter commiſit.

Et etiamnum verum perſtat inutilia alia, manente tamen foederis vinculo, conſervaſſe ARTHEDIVM genera, etiam admiratores ſine neceſſitate alia creaſſe. Namque ARTHEDIA a CAVCALIDE non diſtinguitur niſi ſolo involucro pinnato in hac, in illa ſimplici, ut auctor eſt LINNAEVS, dum flores radiati utrimque abortiunt, et ſemina utrimque muricata ſint: an ne iam involucri aut ſimplicis aut pinnati incantamento ex hac ſpecie CAVCALIS, ex illa ARTHEDIA effingi, et genera duo ex uno conſtitui poſſint? non disquiram, licet ſic ego non faſciner, ſed ſolum rogatum *Cl.* LINNAEVM velim, aperiat Florae ſuecicae cultoribus myſterium, quo, uno eodemque ſub genere ab illo tamen conſtituto,

Digitized by Google

to, gemere poſſint et debeant LIGVSTICVM *auſtriacum* pinnato etiam inſtructum involucro, et LIGVSTICVM *leviſticum* ſolum ſimplice donatum, et quod maius eſt APIVM *graveolens* etiam pinnatum, et APIVM *petroſelinum* aut omni carens involucro, aut ſimplice aut monophyllo ſolum gaudens, ADREOSELINVM Rivino pinnatum viſum et pictum et LINNAEO ſimplex, dum eſt in duo dilacerata ARTHEDIA et CAVCALIS? an forte quia „nomina vera plantis imponere Botanicis „genuinis tantum in poteſtate eſt„ *criticae botanicae* teſtimonio? aut quia „nomina generica „quamdiu ſynomina digna in promptu ſunt, no„va non effingenda„ vi *eiusdem?* alias ego rationes, qui caeterum LINNAEI myſteria pene multa facile perſpicio, non dixero, nec ipſe, certus ſum LINNAEVS. An iterum erat in SANICVLA *officinali* arcana quaedam alia vis, qua a CAVCALIDE ſeparata novum conſtitueret genus? tamen ſemina muricata ut illa habet, flores ut illa abortientes, et ſola in ſubumbellatis in hac, in radiatis in illa floribus differentia ſupereſt, an ut genera diſcerpantur ſufficiens? viderit ARTHEDIVS: de ECHINOPHORA non quaeram, quam iam ad CAVCALIDES retulit ROYENVS.

Sed nunc cauſas memorent nuperi LINNAEANI, quo numine laeſo, SESELI *glaucum* et SESELI *articulatum* aeterno coniuncti ſanguine fratres, diſſocientur - - et ter-

Digitized by Google

ris iactentur, et alto? --- an --- vi ſupperum ſcevae memorem Iunonis ob iram? aut quod unus connatum habeat torquem, ſolutum alter? poſtremum hoc diviſionis harum ſpecierum, et generis HIPPOMARATHRI creationis fundamentum fuiſſe aiunt: ſed utique non perſpexere plusquam genuini hi Botanici Magiſtrum LINNAEVM non triplici ſtemmate adumbraſſe BVPLEVRVM, ſed id ſolum una generis BVPLEVRI deſcriptione fuiſſe complexum, licet tamen *rotundifolium* BVPLEVRVM torquem univerſalem nullum, conſtanter haberet *ſtellatum* ſemper connatum, et *falcatum* BVPLEVRVM poſſideret ſolutum; quodſi aut ex eo, quod nullus adſit torques, aut ſi adſit, quod ſolutus vel connatus ſit, nova generica nomina imponi a genuinis Botanicis debeant, his imponere etiam LINNAEVS debuiſſet, quod cum non fecit, culpae Magiſtri potius quam ſuae conſcii Diſcipuli, tria nova conſtituant genera, et ſaltem hac vice non obliviſcantur indefeſſi olim IOACHIMI BVRSERI, cuius opera multum LINNAEVS, absque honorifica tamen viri memoria uſus, et Upſalienſis in hodiernam diem Bibliotheca ſuperbit, dum ego interea et argumenta et genera contraho et *Arthedias* L. non BOEHMERI, ſub CAVCALIDE ordino, his, ad normam LINNAEI et cognominibus et definitionibus.

Arthe-

Digitized by Google

Arthedia. 7. Caucalis involucris pinnatis, ſeminibus ſquammatis.

Tingitana. 8. Caucalis involucris pinnatis, ſeminibus aculeatis.

Sanicula offic. 9. Caucalis floribus ſub umbellatis floſculis omnibus ſeſſilibus.

Ita et Haſſelquiſtia ad *Tordylia* relegari debet, et Hippomarathrum ad *Seſeli.*

Articulatum II. Seſeli.

Etiam alia aliis coniungo, ut in opere videre eſt; minime enim perſuadeor aut crenatam, aut fimbriatam, aut nudam, aut villoſam, aut connatam, aut ſolutam, aut anguloſam, aut planam, aut demum ſimplicem, aut pinnatam, aut alio quocunque modo perſonatam involucri formam, eam in regno vegetabili ſupremam eſſe poteſtatem, quae omnia, quae caeterum convenirent genera, deiicere, mutare, combinare valeat, dum non adeo genuinum me adhuc ſentio Botanicum, ut a Peripateticorum ſubſtantialibus formis exagitatus, has ideas amplectar. Nec amplius quidpiam urgeo, ni quod vere ſit ſyſtematicum; PONTEDERAE in compoſitis ordines ideo admitti non potuere, quia genera nonnulla obſtarent naturalia (*Philoſ. Botanic.*) et tamen, licet genera obſtent naturalia pene multa, Arthedii in umbellatis ordines recommendantur!

 Atque

Digitized by Google

Atque haec primo breviter contra umbelliſerarum ordines et in his ordinibus generum multiplicitatem dicenda erant, ut ipſi generici characteres, iuxta quos omnis umbellifera invento ordine determinanda eſt, aliquantulum ſcrupuloſius trutinarentur. Iam vero ſpecies cum characteribus genericis *novi Syſtematis Naturae* componens BVPLEVRVM ſemper divinari non poteſt, vt huius generis infidus character illico offeratur; nec tutior eſt CAVCALIDIS ob involucra *integra* quae LINNAEVS vidit pinnatifida, aut TORDYLII ob fructum ſuborbiculatum margine crenatum, qui in paucioribus deprehendatur, aut PHELLANDRII ob fructum ovatum perianthio coronatum, quod in *Mutellina* nunquam vidi, etiam in *Enumeratione ſtirpium Helveticarum* negat alpinus tamen Vir HALLERVS. Solidior longe ATHAMANTAS confuſio exagitat, iam notata BOEHMERO, qui et receptum MEVM genus reſtituit; primo non criminabor vocabulum, licet novae ſit creationis illud, et vetus exſtet MEI, aut LIBANOTIDIS, ſed ipſas characteri generico non componendas ſpecies: non enim hic aequalis caterva eſt, ſed tumultuaria cohors, conflata *Libanotide, Dauco cretico, Cervaria, Meo, Oreoſelino* noſtrarum Regionum militibus, de aliis enim nihil novi, ſed nolo confundere LINNAEVM, quem unice admoneo ut in gratiam diſcentium undecimae

copia-

Digitized by Google

copiarum recenſioni maiorem attentionem adferat, easque accuratius diſponat. Et dum ad LASERPITIVM accedo, id video merito de communipularibus erubeſcere, neque etiam hi eadem ſigna habent. ANGELICAE character clare definitus non eſt, quid enim aut ſubrotundum aut angulatum ſibi velit, ego divinare nunquam potui, aptius patefecit HALLERVS. Fallit evidentius ille SII, tantum enim abeſt, ut fructus ſit ſubovatus ſtriatus in *Falcaria*, vt omnino deprehendatur oblongus utrimque depreſſus, ſubovati nihil habens. Nec SCANDIX a Chaerophyllo ita diſtincta eſt, ut recte definita haec haberi genera poſſint. Lubrico omnino verſatur loco IMPERATORIA, dum et Carviſoliam inter SESELI relatam pro illa habere poſſes, et aliud etiam genus *Paſtinacam*. Impurum quoque et diſcolor eſt SESELI, nam quod vocatur *Carviſolium* ab omni alia ſpecie diſtinctum ad PASTINACAS potius ſpectat, ut recte iam olim CORDVS, dum ita denominaret, fecit: porro a charactere DAVCI vel maxime aberrat, quem DAVCVM VISNAGAM vocant, larvam generis non naturam habens, ut etiam BOEHMERVS Viſnagam conſtituere novum genus debuerit in definitionibus generum plantarum. Iterum certo ſcabioſa eſt PIMPINELLA, ſi demum monſtroſa non ſit, quae fructum ovato-oblongum habet, qui in noſtris plantis talis nunquam de-

Digitized by Google

prehendatur; nec hac nota cognoſcatur; neque etiam PIMPINELLIS *ſelinum montanum pumilum* CLVSII aut felicius aut verius hoc ſtante charactere compoſitum deprehenditur, ut quaſi natura duce in eam devehamur concluſionem, ſibi repugnare magis generibus Linnaeanis inſcriptas ſpecies, quam ipſa quidem ſignifera, quae caeterum deberent eſſe diverſiſſima genera, adeoque et has ſpecies in genera evehi, et haec genera ad ſpecies cum dedecore traduci debere; hinc nec methodum umbellatarum Arthedianam, nec genericam, aut ſpecificam earundem Linnaeanam definitionem, veritatis lumen ſuſtinere, et in experimento confirmari; plantarum in diverſis regionibus creſcentium enumeratores hanc methodum ſecutos, novitatis quidem, non naturae gratiam conſecutos, pulchre pentandria digynia exſcripſiſſe, naturam nunquam vidiſſe. Quae omnia quoniam iam illis, quae demonſtrata ſunt, clariſſime inſint, et ex iis etiam luce meridiana clarius eluceſcant, etiam omnibus plantas examinantibus, viſa, et ad taedium usque obfirmata habeantur, recoquendam ſane non poſtulant demonſtrationem: „Res naturales enim„ ut bene in *Praefatione ſpecierum* monuit *Cl.* LINNAEVS, „proprio privilegio munitae perſiſtunt, vt „quemadmodum errores in his commiſſi a „nullo defendi, ita nec veritates obſervatio-

„nibus

„nibus innixae a toto eruditorum orbe, con-
„culcari poſſint.„

Et haec quidem de characteribus genericis earum potiſſimum umbelliferarum, quae noſtris in terris ſponte creſcunt (de exteris enim nihil novi nec definio, licet tamen noſtrarum exemplum harum ſcabiem facile offerat) haec inquam ineluctabilis difficultas, cum illos ſemper, qui naturam examinantes conquaeſitam proprio marte Botanices ſcientiam cupiunt, maneat, alios vero, qui ſuam mechanico quaſi exercitio et uſu, quod ARTHEDIVS, LINNAEVSve ita nominaverit, contenti quaerunt aut divinant, aut demum ultimo ex aliquo ſexuali herbario exſcribunt, abſolvat, volui in gratiam priorum faciliorem, poſteriorum tutiorem viam tentare, ut hic umbelliferarum ordo, quem naturalem iuxta, ac uniformem omnes agnoſcunt, nemo tentavit feliciter, hucusque nemo elaboravit, eſſet in plurimis conſtantiſſimus. Patrum igitur veſtigia in multis ſequar ex ſemine et methodum Umbellatarum et genera, non neglecto flore, conſtituo, in eo ſequi non poſſum, quod ob differentiam admodum levem, et ſpecificam potius quam genericam, genera multiplicent, quae ego contraham: errores ARTHEDII et LINNAEI ſcrupuloſe notabo, tum quod, quaſi ſanctae veritates, ſine examine ſint generalius, ut fatentur, recepti, tum quod non paucas meas habeant botanicas horas, et ſu-

Digitized by Google

dorem, et deſperationem, dum iuxta horum virorum prototypon plantas conſtanter determino, tum ne bonum tempus alii male collocent, et eos evitare, quos ego non potui ſcopulos, poſſint, tum demum ut mea aliquali gloriola undecima ſyſtematis naturae caſtior exurgat, quod opto, editio. Interea manebunt ampliſſima horum Virorum in rem botanicam et omni laude maiora merita, manebit magni nomen LINNAEI, cuius forte umbram nunquam aſſequar, ſed vellem hunc virum ad naturam et aliorum Botanicorum, quos ſemper ſpernit obſervationes, attentiorem, vellem generum eius ad naturam exactos magis et veriores characteres, diſcentibus faciliores, non inventu impoſſibiles, et candide fateor, me ſine CLVSIIS, BAVHINIS, nec velle nec poſſe Botanophylum eſſe, icones ſaepiſſime plus inſtruere, quam totum characterem genericum ſexualium, et ſynonima ſaepe citius in cognitionem individuorum deducere, quam aridam, duram, et aenigmaticam ſexus definitionem.

Nunc totum hoc de Vmbelliferis ſcripſeram Opuſculum, 1763. dum novi recentiorum virorum mihi darentur labores, 1764. ſcilicet IOH. GOTTLIEB GLEDITSCH *Syſtema Plantarum a ſtaminum ſitu.* D. ADANSON *Familiae plantarum*; Iam vero avidius perquirens, quid uterque vir Clariſſimus in Umbellatarum perfeciſſet penſo, ARTHE-

DII

DII ſecutum prototypon GLEDITSCHIVM, et nihil in Umbellatarum ordinibus, qui etiam hic involucris diſtinguerentur, mutaſſe, obſervavi; ADANSON vero, cum aliis multis involucrorum inſufficientiam cognoſcentem, alia, eaque nova inceſſiſſe via, et Umbelliferarum familiam in octo ſectiones ordinaſſe.

I. CAREORVM.
II. CHAEROPHYLLORVM.
III. CICVTARVM.
IV. DAVCORVM.
V. SPHONDYLIORVM.
VI. PASTINACARVM.
VII. FAENICVLORVM.
VIII. GINSEN.

Non diffitebor eam, ita prima fronte mihi arriſiſſe methodum, ut iam praelo praemendum meum qualemcunque de Umbelliferis laborem ſummopere dolerem; facile enim intelligebam hanc demum in ordinandis cohortibus viam optimam eſſe, quae in ordinis nomine naturam, et famulantem naturae habitum poſſideret, ſic enim ſtatim omnes plantas, quae vel cum CAREIS, vel cum CHAEROPHYLLIS, CICVTIS, DAVCIS etc: maximam haberent relationem, affinitatemque cognoſci poſſe ſperabam; at levior tantum lectio brevi ſpem feſellit, dolorem lenivit, et, nec CAREA, nec CHAEROPHYLLA, nec

nec CICVTAS, aut alia demum nomina omnia, naturae quidpiam vel habitus habere, hinc haud ſignificantia eſſe, ſed ex puro Auctoris arbitrio pendere, luculenter commonſtravit, ut omnino idem fuiſſet, hos ordines his, aut aliis barbaris, quibus Auctor admodum delectatur, nominibus inſignire: cuius rei probationem, eundo per ſingula nunc faciam.

I. CAREA primae ſectionis mancipia. 1. CAREVM. 2. TRAGOSELINVM. 3. PODAGRARIA. 4. ANISVM, naturae nihil, quo Careorum ſibi nomen vindicent, habere, quis ibit inficias, dum vel Tragoſelinum Careo, vel huic demum Podagrariam, aut Aniſum confert? dum Carea omnia quoad ſingulas partes, nulla ſane nec in foliis, nec in umbellis, aut tota demum plantae compage, aut alia re, ex qua habitus fundamentum deſumi ſolet, convenientes comparat? q. e. d.

II. CHAEROPHYLLORVM genera ſunt ſequentia. 1. SCANDIX. 2. CHAEROPHYLLVM. 3. MYRRHIS. 4. AETHVSA. 5. PHELLANDRIVM. 6. OENANTHE. 7. SESELI. 8. AMMOIDES. Nunc quid Chaerophyllei habet, aut PHELLANDRIVM *mutellina*, aut omnes OENANTHE, SESELI, AMMOIDES ſpecies? colloca ex ordine haec individua, et demonſtra ſimilitudinis, externaeque agnationis notas, in impoſſibilitate habetur demonſtratio, AETHVSA etſi Chaerophyl-

rophyllis componi poſſit, tamen certum eſt, magis Cicutis adhaerere, et vi habitus Cicuta, non Seſeli Chaerophyllis inferri poſtulat.

III. CICVTAE omnino vagae nulla evidenti, et cohaerenti nota compingi poſſunt. Genera ſunt 1. CICVTA. 2. SIVM. 3. SISARVM. 4. SISON. 5. ANGELCA. 6. LASERPITIVM. 7. ERYNGIVM. 8. SANICVLA. 9. ASTRANTIA. 10. AMMI. 11. CVMINVM. 12. MEVM. 13. BVLBOCASTANEVM. 14. CRITHMVM. Iam evidens eſt non alia, quam ſimplicis lectionis demonſtratione hic opus eſſe.

IV. DAVCIS Genera ſunt. 1. TORDYLIVM. 2. DAVCVS. 3. CAVCALIS. 4. CORYLIS. 5. CORIANDRVM, et hoc eſt, d. ſed cur Daucis Sphondylia non inſcripſit.

V. SPHONDYLIA ſunt 1. HYDROCOTILE. 2. SPHONDYLIVM. 3. IMPERATORIA. 4. OREOSELINVM. 5. THYSSELINVM. Genera, ut in prima ſectione, in ſectione tertia male multiplicata, nec tamen habitu convenientia. q. ultimum e. d.

VI. PASTINACAE. 1. THAPSIA. 2. PASTINACA. 3. FERVLA. 4. ANETHVM. q. e. d.

VII. FAENICVLA 1. FOENICVLVM. 2. PEVCEDANVM. 3. LIGVSTICVM. 4. CACHRYS. 5. APIVM. 6. SMYRNIVM. 7. BVPLEVRVM. q. e. d.

VIII.

Digitized by Google

VIII. GINSEN Genera ſunt 1. LAGOECIA. 2. ECHINOPHORA. 3. APRADVS. 4. SOLANDRA. 5. GINSEN. 6. ARALEA. 7. HEDERA.

Nunc vero patere arbitror, nulla, aut ſimilitudinis, aut externae agnationis facili nota harum ſectionum nomina conſtructa, compactaque eſſe, nec haec, ipſa ſimplice, et arithmetica harum ſectionum denominatione plus docere, proin idem fuiſſe, CAREVM, TRAGOSELINVM, PODAGRARIAM, ANISVM, primae ſectionis eſſe dicere, et ſic demum alia genera aliarum, quam quidem illa, aut CAREA, aut CHAEROPHYLLA etc. appellare. Cum vero ſingula ſectio ſuae diviſionis fundamentum poſtulet, id ſectioni inſit neceſſe eſt; quare nunc ſectionum character examinandus venit, ut intelligatur, qua quaeque ſectio ratione cohaereat, et ab alia diſcrepet.

I. SECTIONIS character ita a *Cl.* ADANSON proponitur. *Involucro tam univerſali, quam particulari plantae deſtituuntur, licet in Aniſo exiguum foliolum utriusque loco habeatur. Petala alba ſunt fere aequalia. Semina ovoidea.*

Involucra CARVM *carvi* aeque, ut ANISVM habet, et ſaepius torquatum, quam torque carens in noſtris regionibus conſpicias. THAPSIA, PASTINACA, ANETHVM, et SMYRNIVM, utroque involucro carent, priora tamen ſextae, ultimum ſeptimae ſectioni inſcribitur,

bitur, quaſi petalorum color ſignificantior nota foret, quam involucrorum abſentia.

Petala TRAGOSELINI non ſemper alba ſunt, quid enim eſt *Pimpinella ſaxifraga maior umbella rubente* C. B. *pin.* 159? hanc ego laete purpuraſcentem ſemper, non albam in noſtris alpibus invenio. Nunc vero ſi petalorum color albidus criterium haud certum ſit, an non THAPSIAE, PASTINACAE, ANETHO, SMYRNIO, et non recenſito adhuc FOENICVLO, etiam utroque involucro deſtituto huc migrandum erit? nec ſeminum configuratio tranſitum moratur, aut in SMYRNIO, aut FOENICVLO, eſt enim et haec ovoidea, ut primae ſectionis character exigit.

Fructus ovoidei configuratio multiplex eſt, et in diverſis non facile componenda; Equidem nulla eſt ovoidei convenientia inter TRAGOSELINVM, et CARVVM, inter TRAGOSELINVM, et PODAGRARIAM, inter hanc et ANISVM. Non reſpondent igitur primae ſectionis genera characteri ſectionis. q. e. d.

II. SECTIONIS *a prima differentia eſt, in involucri partialis praeſentia, abſentia univerſalis; nam licet Myrrhis, Chaerophyllum, Oenanthe, Seſeli, quandoque unum, alterumve foliolum involucri univerſalis loco habeant, ſaepius tamen nullum poſſident. Petala in Seſeli in rubrum declinant.*

Involucrum partiale in his vere obtinet; genera igitur huic ſectioni inſcripta recte illata forent, prae-

praeter OENANTHEN, cui LINNAEVS, et qui illum ſecutus GLEDITSCH utrumque involucrum concedunt, ſi non aliae plures ſtirpes eodem inſcriptionis iure gauderent; equidem ANGELICA CICVTIS illata, involucrum univerſale raro ullum habet, particulare tamen certum et conſtans: CAVCALIS DAVCIS inſcripta idem experitur; et tergiverſans CORIANDRVM, et TYSSELINVM novum ADANSON genus SPHONDYLIIS adnumeratum, et PEVCEDANVM, et APIVM, et BVPLEVRVM FOENICVLIS inſcripta; cur haec hac claſſe excluderentur?

Petala non ſolum in rubrum declinant in SESELI, ſed etiam in CHAEROPHYLLO *hirſuto*, in SELINO *mutellina*, vide obſervationes noſtrarum Umbelliferarum.

III. SECTIONIS *plantae differunt a praecedentibus, quod utroque involucro, foliolis ſimplicibus, aut ramoſis compoſito gaudeant.*

Rubeſcunt in Cumino, Sanicula, et nonnullis Aſtrantiae ſpeciebus petala.

Involucrum utrumque rarius obſerves, ut iam antea monui in ANGELICA, MEO; ſaepe non in LASERPITIO, CICVTA, SISÓNE, quod etiam utroque careat; ergo neque hic genera characteri ſectionis reſpondent.

IV. SECTIO *ab omnibus aliis diſcrepat facie petalorum exteriorum inaequalium, et maiorum.*

Flo-

Digitized by Google

Flores ſaltem externe rubent, ſi aliquot Dauci, et Caucalidis ſpecies excipias.

Petala exteriora inaequalia, et maiora etiam deprehenduntur in SPHONDYLIO, OENANTHE, SCANDICE, SPHONDYLIVM tamen ſectioni quintae, OENANTHE, SCANDIX ſecundae illatae ſunt, quaſi dandum eſſet petalorum colori plus; quam eorundem inaequalitati et certior eſſet color, quam facies.

V. SECTIO *ab omnibus aliis diſtinguitur ſeminibus planis, floribus albis, aut rubentibus, petalis ferme aequalibus.*

Semina etiam plana ſunt in TORDYLIO, priori tamen ſectioni inſcripto. Habet et ANGELICA *ſylveſtris* ſemen adeo, ut IMPERATORIA planum, et petala aequalia, et tamen CICVTIS illata eſt; ſunt et PEVCEDANI, quod *Silaum* Botanici vocant, ſemina plana, quae ADANSON male ovoidea ſtriata facit.

VI. SECTIO *flavo petalorum colore a priori, ſemine plano a reliquis differt.*

Color petalorum nunc ſectiones facit, quo firmo fundamento alii iudicent, ſed THAPSIA *trifoliata* flores atro purpureos habet, et ANETHVM *graveolens* fructum planum, et ANETHVM *foeniculum* ovatum poſſidet.

VII. SECTIO *petala itidem flava, et ſemina ovoidea aut hemiſphaerica ſibi vindicat.*

Digitized by Google

Petala flava non ſunt in LIGVSTICO *auſtriaco*, ſed matura albiſſima, excludenda ex albopurpuraſcentia in noſtris alpibus, utique iam id ex Cluſio I. BAVHINVS dixit SESELI *alpinum ſive montanum I. Cluſio folio ſplendente floſculis albis.* Nec flava ſunt petala in LIGVSTICO *ſcotico*, ut aliqui perhibent, nec in APIO *celeri*, nec in APIO *paluſtri*, nec SMYRNIO *oluſatro*; igitur huius ſectionis eſſe nequeunt, et LIGVSTICO *auſtriaco*, LIGVSTICO *ſcotico*, APIO *celeri*, APIO *paluſtri* ad ſecundam Cicutarum ſectionem, SMYRNIO vero *oluſatro*, vel ad primam vel ad novam migrandum erit; dum fructus primae ſectionis ſolum ovoideus ſit, SMYRNII *oluſatri* autem hemiſphaericus cum involucri utriusque abſentia.

Fructus non magis ovoideus eſt in PEVCEDANO *ſilao*, quam in PASTINACA, aut OREOSELINO, ut et haec PEVCEDANI ſpecies Paſtinacarum inferri Claſſi potius debeat, quam Foeniculorum. Nunc etiam ANGELICA *Archangelica* flores luteolos habet perhibentibus Botanicis plurimis, et duae tantum ſectiones exſtant petalorum in colore flavo fundatorum, Paſtinacarum ſcilicet, et Foeniculorum, vt igitur ARCHANGELICA his inferri debeat, ſi demum ſemen non obſtet, aut ſi his eius conferri ſemen non poſſit, tum clarum eſt novam Archangelicarum ſectionem creandam eſſe, ut in nova hac methodo rectius

Digitized by Google

rectius ordinari umbellatae ſtirpes poſſint, quod erat in votis. Nihil dicam de Smyrnio cuius fructum hemisphaericum facit, GLEDITSCHIVS vero oblongum.

VIII. SECTIO a ſtricte dictis umbellatis deflectentes continet ſtirpes. Genera hic ad characterem ſectionis recte caſtigavit auctor, immortali commonſtrans exemplo, tum demum umbellatas ad amuſſim ſe ordinaſſe ſpecies, dum de his non eſſet ſermo amplius.

Haec quidem ſufficere arbitror, ut hanc umbellatarum diſtributionem plantarum, minus adhuc illa praecedentium Virorum firmam demonſtrem pronunciemque; nec tamen aut in ea ſolum, excidit propoſito ADANSON, ſed et in eo plurimum luſit, quod, poſteaquam methodum Arthedianam, Linnaeanamve inſufficientiae, defectusque poſtulaſſet, ipſe, quaſi omnium paulo ante a ſe prolatorum oblitus, eandem amplecteretur, foveret, ſectaretur, forte ſibi ipſi ſpondens, naturam, quae in involucris ARTHEDIVM, LINNAEVMve deſeruiſſet, ſibi adfuturam, et demum ſtabiliorem involucrorum in umbellatis faciem ſui cauſa compacturam, quam aliorum anteſeciſſet. Spes nunc ſit penes auctorem; interea ego demonſtro ex involucris, quae tamen paulo ante negligenda cenſebat, ſectionum ſuarum firmiſſi-

mos et eſſentiales characteres, inverſo ſolum Linnaeano ordine, vt nova cuncta apparerent, ADANSON deſumpſiſſe.

I. SECTIONIS, quae ultima LINNAEO ſit, character in eo vertitur fatente ipſo *Cl.* Viro, quod *involucro utroque deſtituatur, licet hinc inde foliolum unicum utriusque loco Aniſo adſit; petala alba ſint fere aequalia; fructus ipſe ovoideus.* Nunc vero certum eſt, nullo adeo conſtanti ſigno, factis exceptionibus, quatuor huic ſectioni inſcripta genera cognoſci poſſe, quam utriusque involucri abſentia; teſtatur id ipſum ſuis in columnis ADANSON; quae enim de florum alborum, de ſeminis ovoidei natura perhibet, minime adeo conſtantia ſunt; etenim quale ovoideum in CARO, tale non eſt in TRAGOSELINO, in quo maior cordis in medio ſulcati, quam ovi ſimilitudo deprehendatur; PODAGRARIAE fructum, ſi ovoideum dicere fas ſit, ovoideum, quid conſtituit, quod a prioribus diſtinctiſſimum ſit.

II. SECTIONIS *character in abſentia involucri univerſalis, particularis praeſentia nititur,* ipſo iterum *Cl.* Viro fatente. Quanquam vero haec eadem confeſſio poſitiva demonſtrationem meam abſolvat, tamen adhuc evinci poteſt in abſentia involucri univerſalis, particularis praeſentia unice huius ſectionis Characterem fundatum voluiſſe; nam neque hic colori

lori

Digitized by Google

lori amplius quidquam tribuit, aut ſi vellet tribuere poteſt, dum purpuraſcunt SESELI, rubeſcit CHAEROPHYLLVM, et profunde rubro colore perfunditur *mutellina* PHELLANDRIVM; nec ſeminis figurae quidpiam dedit, quae roſtrata in SCANDICE, in AETHVSA hemisphaerica, in PHELLANDRIO ovoidea ab ipſo agnita, in OENANTHE vero cylindrico anguloſa deprehendatur. Nihil dicam, quod fructum OENANTHE cum illo SESELI eundem ovoideum ſtriatum fecerit.

III. SECTIONIS *Characterem ex involucri utriusque praeſentia etiamnum repetit*, nec hic aut floris colorem, aut fructus figuram, ut patet legenti, praevalere voluit, licet tamen fructum allegare potuiſſet, qui ipſi in omnibus generibus hac ſectione ſcriptis ovideus ſit, ut in CICVTA, ſub qua et *Conium* LINNAEI complectitur, in ANGELICA, AMMI, LASERPITIO, CVMINO, MEO, SANICVLA, CRITHMO, ERYNGIO etc. tamen in CICVTA *Conio* LINNAEI fructus ſubrotundus eſt, in ANGELICA certe non ovoideus, in LASERPITIO oblongus ſemi-cylindricus, in AMMI ſubrotundus, in MEO oblongus, ut quidem LINNAEANI omnes perhibent, quodſi omnes horum generum fructus ovoidei ADANSON dici poſſint, non video, cur demum ad ovoideum omnes omnium umbelliferarum fere fructus non revocari poſſint,

Digitized by Google

ut SPHONDYLII, THAPSIAE, FERVLAE, APII, SMYRNII, et aliarum. Harum vero rerum demonſtratio ad praeſens meum penſum nunc non ſpectat, ſed id unicum, in involucrorum tam univerſalium, quam particularium praeſentia, aut abſentia, tres primas ſuas ſectiones, poſteaquam involucra ad ordinandas umbellatas ſtirpes inſufficientia declaraſſet, fundaſſe ADANSON, quod, ut ſpero, dilucide ſatis feci, convictus *Cl.* huius Viri methodum illa ARTHEDII adhuc imbecilliorem fallacioremque eſſe. Nihil dicam de generum, ab illo ex levi cauſa facta amplificatione, neque ſane ego miror illum 400 habere, quae LINNAEO, aliis deſint; dum SISARVM *Sio* eximit, inter SIVM et SISON locat, nulla alia diſtinctum nota ut *Cl.* Viri Columnae teſtantur, quam quod SISARVM involucrum univerſale, 5, 6, foliolis factum habeat, tamen *Cl.* Vir nihil involucris concedit; ſed ego non perſuadeor.

Nunc vero, cum praeter ſpem, hoc methodi Adanſonianae additamentum increverit, et praefationis faſciculo anteponendae limites excedat, et ab omni tempore vexatiſſima ſemper et fère deſperata habita fuerit quaeſtio *Umbelliferas recte ordinare*, nihil tentaverit HALLERVS, et poſt ARTHEDIVM nihil mutare auſus fuerit LINNAEVS, *iuxta* eam, qua auſtriacarum umbelliferarum familias

lias praeterito iam anno haud repugnante natura ordinaveram, omnes reliquarum terrarum umbellatas ſtirpes tentare volui, et hunc de umbelliferis diſcurſum ſchemati univerſali praefigere. Fatebor, me in hoc negotio difficultates expertum taedioſas et fere deſperatas, dum ſingulas ad Characterem genericum caſtigarem ſpecies; et fere tot, quot iam notavi ARTHEDII errores, adhuc notandos ſupereſſe viderem, dum mancis Auctorum deſcriptionibus continuo luderer, vagisque LINNAEI et ADANSON Characteribus non parum vexarer, quos, quamvis a fructus figura potiſſimum deſumpſiſſet LINNAEVS, adeo tergiverſantes tamen, et duplices inveni, ut vel in hoc, vel in aliud, tertiumve genus flecti poſſe, in operatione conſpicerem; et ea quidem videtur fuiſſe ADANSON ratio, quod ſeminum figuras reduxerit, et pauciores longe propoſuerit, ſic ad ovoideam revocavit omnes PIMPINELLAS, ANGELICAS, AMMI ſpecies, tum LASERPITIA, CICVTAS, FOENICVLA, ASTRANTIAS, CVMINA, CRITHMA, OENANTHES, LIGVSTICA, CARA, BVPLEVRA, DAVCOS PODAGRARIAS, SESELI, PEVCEDANA, ANISA, et omnes CACHRYOS ſpecies, dum illam CORIANDRI, APII, AETHVSAE hemiſphaericam faceret, et pauca alia genera, aut ellipticae diceret figurae, aut orbicularis, aut oblongae. Qua quidem felicitate id *Cl.* Vir fece-

fecerit, et an LINNAEVM in ovoidea figura ſuperaverit, non inquiſivi, ſed ſolum dato a me characteri generico eas omnes contuli ſpecies, quas vel haberem, vel ex auctorum lectione, aut figuris eruere poſſem; et ubi demum ob incertitudinem, vel ob defectum deſcriptionum, comparare non poſſem amplius, illatas generibus ſpecies Auctorum Auctoritate, ne illorum peccata ferrem, munivi. Minutioribus in ſeminibus inter ovatum et ſubovatum diſtinctionem, quod limites certos non invenirem, facere non valui, ſtatuta ſtricte umbellatarum plantarum a *Cl.* LINNAEO 42 genera, et a *Cl.* ADANSON usque ad 47 multiplicata, ad 21 reduxi. Sed en integrum ſchema.

VMBEL-

Digitized by Google

VMBELLIFERAE

Dicuntur eae omnes ſtirpes, quae ſuam fructificationem in umbraculis geſtant.

HABITVS ABSOLVTI

Eae ſunt, quae cum umbraculis modo dictis, pedunculis nempe ex eodem centro enatis, et in umbracula diffuſis, petala quinque habent, et ſemina duo ad mediam axim ſibi applicata.

ORDINES.

I. ALATAE.

II. COSTATAE AVT STRIATAE.

ORD. I. DIVISIO.

I. Ala marginali ſola.

II. Ala marginali et dorſali.

ORD. II. DIVISIO.

I. Coſtis aut ſtriis nudis.

II. Coſtis aut ſtriis tectis.

Digitized by Google

DIVISIONIS I. SECTIO.

I. Fructu tum lato, tum longo.

II. Fructu longo magis, quam lato.

III. Lato plerumque magis, quam longo.

DIVISIONIS II. SECTIO.

I. Tectis membrana.

II. Villo aſperſis.

III. Armis hiſpidiſ.

I. ALATAE.

* Ala marginali.

1. TORDYLIVM flore plerumque radiato, ſemine ſuborbiculato plus minuſve plano, ala crenata, ſquamata.

   1. Syriacum.
   2. Officinale.
   3. Apulum.
   4. Maximum.
   5. Arthedia.
   6. Haſſelquiſtia.

2. HERACLEVM flore plerumque radiato. Semine plane-cordiformi, ala membranacea.

   1. Protheiforme.

      α. Brancaj urſina *offic.*
      β. Panaces.
      γ. Elegans.

δ. Pal-

δ. Palmatum.
ε. Anguſtifolium.
2. Sibiricum.
3. Alpinum.
4. Auſtriacum.

3. SELINVM flore regulari. Semine rotundato, vario, etiam oblongo; ala membranacea.

* *Involucro utroque plerumque*,

1. Cervaria.
2. Oreoſelinum.
3. Tyſſelinum.
4. Paluſtre.
5. Argenteum.
6. Carvifolia GMELINI.
7. Peucedanum.
8. Alpeſtre.
9. Silaus.
10. Alſaticum.
11. Nodoſum.

** *Plerumque partiali*.

12. Imperatoria.
13. Sylveſtre.

*** *Plerumque nullo*.

14. Carvifolia CHABRAEI.
15. Paſtinaca.
16. Opopanax.

4. THAPSIA flore regulari. Petalis lanceolatis. Semine oblongo, ala foliacea latiſſima.

1. Villoſa.
2. Foetida.

3. Aſcle-

Digitized by Google

3. Aſclepium.
4. Trifoliata.

** Ala marginali et dorſali.

5. ANGELICA flore regulari. Semine alis utrisque, ſed dorſo abſciſſis.

1. Archangelica.
2. Atropurpurea.
3. Lucida.

6. LASERPITIVM flore regulari. Semine molendinaceo, non fungoſo, alis utrisque, vel planis, vel criſpis.

1. Latifolium.
2. Gallicum.
3. Anguſtifolium.
4. Selinoides.
5. Peucedanoides.
6. Halleri.
7. Krapffii.
8. Mutellinoides.

II. COSTATAE AVT STRIATAE.

I. Coſtis aut Striis nudis.

* *Fructu tum lato, tum longo.*

7. SILER flore regulari. Semine oblongo, lato, gibbo, coſtis 4, 5, percurſo.

1. Montanum.
2. Trilobum.
3. Chironium.

8. CRITH-

8. CRITHMVM flore regulari. Fructu ovali in loco coniunctionis compreſſo, dorſo gibbo.

1. Maritimum.
2. Pyrenaicum.

9. FERVLA flore regulari. Fructu lato, ovali, compreſſo, plano.

1. Communis.
2. Glauca.
3. Tingitana.
4. Ferulago.
5. Orientalis.
6. Meoides.
7. Nodiflora.
8. Canadenſis.
9. Aſſa foetida.

10. SMYRNIVM flore regulari. Fructu fungoſo, tumido, amplo.

* *Involucris utrisque. Semine angulato.*

1. Libanotis.
2. Hiſpidum.
3. Laſerpitioides.

** *Involucris nullis. Semine ſtriato ſent.* LIN.

4. Perfoliatum.
5. Aegyptiacum.
6. Olusatrum.
7. Aureum.
8. Integerrimum.

** *Fru-*

Digitized by Google

** *Fructu longo magis quam lato, hinc roſtrato, elongato, cylindrico, ſubovato etc.*

11. CHAEROPHYLLUM fructu roſtrato, aut in acum terminato.

* *Floribus rad. ſent.* LIN.

1. Odoratum.
2. Pecten Veneris.
3. Cerefolium.
4. Anthriſcus.
5. Auſtrale.
6. Nodoſum.
7. Grandiflorum.
8. Procumbens.

** *Floribus regul.*

9. Sylveſtre.
10. Bulboſum.
11. Temulum.
12. Aureum.
13. Hirſutum.
14. Aromaticum.
15. Arboreſcens.
16. Canadenſe.

12. LIGUSTICUM fructu oblongo, non roſtrato, nec acuminato, poſt priorem longiore.

* *Semen coſtis anguloſis 5.*

α Involucris plerumque utrisque.

1. Leviſticum.
2. Scothicum.
3. Cornubienſe.

4. Polo-

4. Poloponneſiacum.
5. Auſtriacum.
6. Chinenſe.
7. Meum.
8. Mutellina.
9. Cuminum.

β. Involucris nullis.

10. Foeniculum.
11. Podagraria.

** *Coſtis vix anguloſis ſolum ſtriatis.*

12. Peregrinum.
13. Phellandrium.
14. Bulbocaſtanum.

13. OENANTHE fructu ex cylindrico anguloſo, coronato, corniculis exſtantibus rigeſcentibus diſtincto.

1. Fiſtuloſa.
2. Crocata.
3. Prolifera.
4. Globuloſa.
5. Pimpinelloides.
6. Rigida.

14. BVPLEVRVM fructu profunde ſulcato. Foliis integris. Petalis flavis.

* *Herbacea.*

1. Rotundifolium.
2. Stellatum.
3. Petraeum.
4. Anguloſum.
5. Longifolium.
6. Falcatum.

7. Odon-

Digitized by Google

7. Odontites.
8. Semicompoſitum.
9. Ranunculoides.
10. Rigidum.
11. Tenuiſſimum.
12. Iunceum.

** *Fruteſcentia.*

13. Villoſum.
14. Fruticoſum.
15. Fruteſcens.
16. Difforme.

15. SESELI fructu plus minusve ovato ſtriato; nec priorum notae.

* *Involucro utroque fere polyphyllo.*

1. Falcaria.
2. Siſarum.
3. Segetum.
4. Inundatum.
5. Verticillatum.

** *Involucro partiali polyphyllo.*

6. Pimpinelloides.
7. Montanum.
8. Glaucum.
9. Bienne.
10. Ammoides.
11. Pumilum.
12. Tortuoſum.
13. Hippomarathrum.
14. Pyrenaeum.
15. Saxifragum.
16. Elatum.
17. Pratenſe.

*** *Fru-*

Digitized by Google

*** *Fructu lato plerumque magis, quam longo; hinc globoſo, ſubgloboſo, ventricoſo, ſolide cordiformi.*

16. CORIANDRVM flore irregulari. Fructu fere ſphaerico.

1. Sativum.
2. Teſticulatum.

17. CICVTA flore regulari plerumque. Fructu plus minusve globoſo, ſaepe ſtriato, etiam ſulcato.

* *Involucris utriſque.*

1. Amomum.
2. Latifolia.
3. Nodiflora.
4. Ninci.
5. Graeca.
6. Sicula.
7. Officinalis.
8. Monnieri.

** *Involucris dimidiatis.*

9. Cynapium.
10. Viroſa.
11. Bulbifera.
12. Maculata.

18. APIVM flore vago. Fructu ſolide cordiformi, aut ex latiſſima baſi acuminato, minutulo.

* *Involucris plerumque nullis.*

1. Tragoſelinum.
2. Glaucum.

Digitized by Google

3. Peregrinum.
4. Aniſum.
5. Carvi.
6. Pumilum.

** *Involucris utriſque vel ſimplicibus vel pinnatifidis.*

7. Petroſelinum.
8. Graveolens.
9. Ammios.
10. Ammi maius.
11. Petraeum.
12. Visnaga.

II. Coſtis aut ſtriis tectis.

* *Membrana.*

19. ASTRANTIA fructu membrana plicata tecto.

1. Maior.
2. Minor.

** *Villo, lanugine aſperſis.*

20. LIBANOTIS fructu villo conſperſo.

* *Involuc. longis, fructu magis ovato oblongo.*

1. Daucus creticus.
2. Montana.
3. Condenſata.
4. Sicula.
5. Annua.

** *Involucris 5-phyllis; fructu magis ovato.*

6. Macedonica.
7. Galbanifera.

8. Gum-

Digitized by Google

8. Gummifera.
9. Rigida.

*** *Involuc. univerſali 1. folio, partial. multifoliis.*

10. Turbith.

*** *Armis hiſpidis.*

21. CAVCALIS fructu aut pilis, aut ſetis, aut aculeis hiſpido.

* *Flore regulari.*

1. Africana.
2. Royeni.
3. Sanicula.
4. Canadenſis.
5. Marilandica.

** *Flor. rad. involucris integris.*

6. Grandiflora.
7. Daucoides.
8. Mauritanica.
9. Platycarpos
10. Orientalis.
11. Anthriſcus.
12. Nodoſa.
13. Leptophylla.

*** *Flor. rad. involucris pinnatifidis.*

14. Latifolia.
15. Carota.
16. Hiſpanica.
17. Gingidium.
18. Muricata.

Digitized by Google

HABITVS DELIQVESCENTIS

Eae ſunt, quae vel aliqua umbraculi vel ſeminum nudorum binorum, mediae axi affixorum, ratione deflectant.

22. ECHINOPHORA umbella perfecta radiata. Seminibus duobus pedunculis immerſis.

1. Spinoſa.
2. Tenuifolia.

23. ERYNGIVM umbella ſimplice multiflora, in receptaculo communi conico capitata, ſeminibus ad axim ſibi iunctis oblongis.

1. Foetidum.
2. Aquaticum.
3. Planum.
4. Puſillum.
5. Maritimum.
6. Aepinum.
7. Tricuſpidatum.
8. Campeſtre.
9. Amethyſtinum.

24. HYDROCOTYLE umbella ſimplici 5, ſ. multifl. ſeminibus duobus compreſſis alatis, mediae axi haerentibus.

1. Vulgaris.
2. Umbellata.
3. Americana.
4. Aſiatica.
5. Chinenſis.

25. LA-

Digitized by Google

25. LAGOECIA umbella ſimplice multiflora. Involucro univerſali 10-folio pinnato, partiali pinnato-capillaceo ſub ſingulo floſculo. Semine 1, oblongo.

1. Cuminoides.

26. PANAX umbella ſimplice multiflora floribus hermaphroditis; et maſculis in diſtinctis plantis.

Hermaphr. Involucro polyphyllo. Pericarpio 5-dentato. Stylis 2. Bacca umbilicata 2-ſperma.

Maſc. Involucro polyphyllo. Pericarpio indiviſo. Piſtillo nullo.

1. Quinquefolium.
2. Trifolium.
3. Fruticoſum.

27. SOLANDRA umbella ſimplice 5-flora. Floribus 4, maſc. 1, femineo centrali ſeſſili. Involuc. 4-phyllo.

Maſc. Cal. nullo, ſed receptaculo florum ſubdidymo dilatato.

Fem. Cal. nullo. Stylis 2. Caps. 2-cocca, 2-ſperma.

1. Capenſis.

28. ARALIA umbella ſimplice pauciflora. Involucro minimo. Pericarpio 5-dentato. Stylis 5. Bacca 5-ſperma.

1. Arborea.
2. Spinoſa.
3. Chinenſis.

Digitized by Google

4. Racemoſa.
5. Nudicaulis.

29. PHYLLIS umbella ſimplice, floribus diſperſis. Involucro nullo. Stylo nullo. Stigm. 2, pubeſc. Seminibus angulatis.

1. Nobla.
2. Indica.

30. ARCTOPVS floribus maſculis et androgynis in diſtinctis plantis.

Maſc. umbella compoſita.

Androg. umbella ſimplice, floſculis ſeſſilibus. Involucro 4-partito, ſpinoſo, maximo. Feminis Stylis 2. ſemine 1 biloculari hiſpido.

1. Echinatus.

VMBEL-

Digitized by Google

VMBELLIFERAE
HABITVS ABSOLVTI

I. Semen ſolis alis marginalibus.

1. TORDYLIVM. Semen Tab. I. Nro. 1.

Fructus ſolis alis marginalibus, vel incraſſatis crenatis, vel ſquamatis, plus minusve planus, orbiculatus. Adde flores radiatos. An Haſſelquiſtia habet? ſi non addi debet in *plerisque.*

1. TORDYLIVM *ſyriacum.*
Tordylium involucris umbella longioribus. *Hort. Cliff.* 90. ROY. *Lugd.* 95.
Tordylium Syriacum humilius, ſemine granulato maiore. MORIS. III. p. 317. S. 9. T. 16. F. 7.
Gingidium foliis paſtinacae latifoliae. BAVH. *pin.* 151.
In Syria.

2. TORDYLIVM *officinale.*
Tordylium involucris partialibus longitudine florum, foliolis ovatis laciniatis. *Hort. Cliff.* 90. ROY. *Lugd.* 95.

Digitized by Google

Seſeli creticum minus. BAVH. *pin.* 161.
Seſeli creticum. DOD. *pempt.* 314.

In Norbona, Italia, Sicilia.

3. TORDYLIVM *apulum.*
Tordylium umbellulis remotis, foliis pinnatis: pinnis ſubrotundis laciniatis. *Hort. Cliff.* 90. ROY. *Lugd.* 94.
Tordylium apulum minimum. COLVMN. *ecphr.* I. p. 122. T. 124.
Seſeli creticum minimum. BAVH. *pin.* 161.

In Italiae, Apuliae incultis.

4. TORDYLIVM *maximum.*
Tordylium umbellis confertis radiatis, foliolis lanceolatis inciſo-ſerratis. *Hort. Cliff.* 90. ROY. *Lugd.* 94.
Tordylium. RIV. *pent.* 1.
Caucalis maxima, ſphondylii aculeato ſemine. BAVH. *pin.* 152.
Caucalis maior. CLVS. II. p. 101.
Seſeli creticum maius. BAVH. *pin.* 161.

In Italiae ruderatis ſepibus.

* Tordylium *latifolium.*
anthriſcus.
nodoſum. LINNAEI.

Tordyliorum characterem Linnaeanum non ſuſtinent, eſt igitur illis ad Caucalides migrandum.

5. TORDYLIVM *arthedia.*
Tordylium involucro pinnatifido, fructu margine ſquamato.
Arthedia ſeminibus ſquamatis. L.
Thapſia orientalis, anethi folio, ſemine eleganter crenato. TOVR. *cor.* 22.

Gin-

Digitized by Google

Gingidium foeniculi folio. BAVH. *pin.* 151.
Gingidium Rauwolffii. CAM. *Hort.* 67. T. 16.

In Libano.

6. TORDYLIVM *Haſſelquiſtia.*

Tordylium fructu ſaepe vitiato hemisphaerico urceolato.
Haſſelquiſtia. L.
Paſtinaca orientalis foliis eleganter inciſis. BVXB. *Cent.* 3. T. 27. *male.*

In Arabia.

Obſervatio. A Tordylio non diſtinctam hanc plantam eſſe contendit *Cl.* ADANSON. Flores tamen regulares facit *Cl.* GLEDITSCH, quos prior non obſervat, et LINNAEVS ſemina alia orbiculata margine membranaceo pallido cincta, ut Paſtinaca genuina habet; donec definitum ſit, ADANSON ſequar.

2. HERACLEVM. Semen Tab. I. Nro. 2.

Fructus ſolis alis marginalibus foliaceis cordiformis. Adde flores in plerisque radiatos, involucra utraque in plerisque polyphylla.

1. HERACLEVM *protheiforme.*

Heracleum foliolis pinnatifidis, petalis auriculatis.
α. *Branca urſina offic.*
Sphondylium. DOD. *pempt.* 304. *icon.*
Sphondylium vulgare hirſutum. BAVH. *pin.*
β. *Panaces* Botanicorum.
Panaces Heracleum, aut potius ſphondylium alterum. DOD. *pempt.* p. 305. *icon.*
Panax ſphondylii folio, ſ. Heracleum. BAVH. *pin.* 157.
γ. *Elegans.*

Heracleum foliis terriatis: folio extimo quinquefido: laciniis oblongis acuminatis. *Enumerat. Stirp. agri Vinbobon.* p. 217. *Problematici* icon T. 2. F. 1. deſcriptionem vide in Faſciculo III. umbellif.

δ. *Palmatum.*

Heracleum foliis ſimplicibus multifidis, laciniis oblongis acuminatis:

ε. *Anguſtifolium.*

Sphondylium foliis anguſtioribus. RIV. T. 5.

α. In Europae nemoroſis, pomariis. β. In Auſtria, Apenninis, Sibiria. γ. In Alpibus Auſtriae. δ. In iiſdem. ε. In Europae nemoroſis.

2. HERACLEVM *ſibiricum.*

Heracleum foliis pinnatis, foliolis quinis: intermediis ſeſſilibus, corollulis uniformibus.

Paſtinaca foliis ſimpliciter pinnatis: foliolis pinnatifidis. GMEL. *Sibir.* 1. p. 218.

In Sibiria.

3. HERACLEVM *alpinum.*

Heracleum foliis ſimplicibus, floribus radiatis.

Sphondylium alpinum glabrum. BAVH. *pin.* 157. *prodr.* 83. T. 83.

Sphondylium montanum glabrum, albo flore. BARR. *ic.* 55.

In Helvetiae Alpibus.

4. HERACLEVM *auſtriacum.*

Heracleum foliis radicalibus pinnatis utrinque piloſis ſcabris: floribus radiatis. CRANTZ. *Faſc.* III. T. 1. F. 1.

Heracleum foliis pinnatis utrinque ſcabris, floribus radiatis. L.

Sphondylium alpinum parvum. BAVH. *pin.* 157. *prodr.* 83.

In Auſtriae Alpibus.

3. SE-

3. SELINVM. Semen Tab. I. No. 3.

Fructus ſolis alis marginalibus foliaceis, plus minusve rotundatus, etiam oblongus. Flores regulares. Adde involucra utraque, ſi adſint (quandoque vero nulla adſunt), reflexa plerumque.

* *Involucro utroque aut variante univerſali.*

1. SELINVM *Cervaria.*
   Selinum foliis cartilagineis, inferne appendiculatis circumſerratis, ſerris denticulatis. CRANTZ. *Faſc.* III. *icon.* 1. Tab. 3.
   Selinum pinnis pinnatis, pinnulis appendiculatis, circumſerratis triangularibus. HALL. *helv.* p. 444.
   Cervaria. RIV. T. 12.
   Daucum alterum. CAM. *epit* 537. *icon.*

In Helvetiae, Auſtriae, Gallo-provinciae, Alſatiae, Sibiriae montibus.

2. SELINVM *oreoſelinum.*
   Selinum foliolis coſta refracta divaricatis, caule aequali ſubnudo. CRANTZ *Faſc.* III.
   Selinum pinnis ad angulos obtuſos natis: pinnulis inciſis non ſerratis. HALL. *helv.* 444.
   Oreoſelinum. CLVS. II. p. 195. *icon non incommoda.* RIV. T. 8. *bona.*

In Auſtriae, Galliae, Angliae collibus apricis.

3. SELINVM *Tyſſelinum.*
   Selinum umbellae retuſae radiis aſperis. CRANTZ. *Faſc.* III.
   Tyſſelinum. RIV. T. 19. et Tyſſelinum anguſtifolium. EIVSDEM. T. 20.

In Auſtria, Harcinia, Gallia.

4. SE

Digitized by Google

4. SELINVM *paluſtre.* Tab. IV. Fig. 1.
Selinum ſublacteſcens radice unica. HALL. *helv.* 443.
Seſeli paluſtre lacteſcens. BAVH. *prodr.* 85.
Selinum foliolis, et lacinulis oblongo-linearibus. GVETT. *Stamp.* 2. p. 70.

In Europae ſeptentrionalis paludibus.

5. SELINVM *argenteum.*
Selinum petiolis, argenteis, et viridibus ſtriis lineatis: ſemine alis latis albidis. CRANTZ. *Faſc.* III. Tab. 4. *icon.* 2.
Seſeli montanum III. CLVS. II. p. 194.

In montoſis badenſibus Auſtriae.

6. SELINVM *Pſeudo-Carviſolia.* L.
Selinum caule ſulcato acutangulo, iuvolucro univerſali caduco, piſtillis fructus reflexis. L.
Selinum foliolis pinnatim laciniatis. GMEL. *Sibir.* 1. T. 48.
Angelica tenuifolia. DILL. *giſſ.* 137.

In Sibiriae campis etiam in Germania. Huc ſcriptum auctoritate LINNAEI.

7. SELINVM *Peucedanum* offic.
Selinum foliis quinquies tripartitis, filiformibus, linearibus. L.
Peucedanum. RAI.
Peucedanum maius italicum. BAVH. *pin.* 149.
Peucedanum germanicum. BAVH. *pin.* 149.

In Europae auſtralioris pratis pinguibus. LINNAEI auctoritate.

8. SELINVM *alpeſtre.*
Selinum foliolis linearibus ramoſis. L.
Ferula foliis libanotidis brevioribus alpeſtris, umbellis ampliſſimis. BOERH. *Lugd.* 1. p. 65.

Habi-

Habitat?

LINNAEI auctoritate huc poſitum.

9. SELINVM *ſilaus.*

Selinum caule folioſo, ramis ramoſis virgatis. CRANTZ *Faſc.* III.

Seſeli pratenſe. BAVH. *pin.* 162.

Siler alterum pratenſe. DOD. *pempt.* 310.

Peucedanum foliolis pinnatifidis: laciniis oppoſitis, involucro univerſali diphyllo. L.

In Auſtria, Helvetia, Germania, Anglia.

10. SELINVM *alſaticum.*

Selinum foliolis pinnatifidis: lacinulis trifidis obtuſiuſculis. L.

Daucus alſaticus. BAVH. *prodr.* 77. et HALL. *opuſc.* 318.

Umbellifera alſatica magna, umbella parva ſublutea. BAVH. *hiſt.* III. p. 106.

In Alſatiae, Palatinatus dumetis humidiuſculis, in ſiccis Auſtriae locis.

11. SELINVM *nodoſum.*

Selinum foliolis alternatim multifidis. L.

Silaum (quod Liguſticum creticum, folio foeniculi, caule nodoſo. TOVR. cor. 23.) BOERHAV. *Lugd.* 1. p. 51.

In Creta.

Auctoritate LINNAEI.

** *Involucro plerumque partiali.*

12. SELINVM *Imperatoria.*

Selinum foliis latis tripartito-diviſis, et ſubdiviſis. CRANTZ. *Faſc.* III.

Imperatoria. RIV. T. 7. *bona.*

Magiſtrantia. CAM. *epit.* 592.

Aſtran-

Digitized by Google

Aſtrantia. CLVS. *Hiſt.* p. CXCV. *icon.* p. CXCIIII.

Ad radices alpium Auſtriae, Helvetiae, Aelverniae.

13. SELINVM *ſylveſtre.*
Selinum foliis ovato-lanceolatis, ſemine oblongo. CRANTZ. *Faſc.* III.
Angelica ſylveſtris ſecunda. TABERN. *icon. commoda.*

In Europae frigidioris, ſubhumidis, ſylvaticis, etiam ad aquas.

*** *Involucro plerumque nullo, flore ſubflaveſcente.*

14. SELINVM *Carvifolia.* CHABRAEI.
Selinum foliis multiplicibus: radicalibus circa coſtam decuſſatis. CRANTZ. *Faſc.* III. *icon.* 2. Tab. 3.
Selinum foliorum vaginis, et foliorum ſegmentis longiſſimis.
Carvifolia. CHABRAEI. *ſtirp. icon.* p. 389. *icon bona.*
Carvifolia. VAILLIANTII. T. 5. F. 2.

In Auſtriae pratis ſubhumidis, etiam ad ſylvarum margines frequens.

15. SELINVM *paſtinaca.*
Selinum foliis pinnatis lanceolatis, baſi ſemitrilobis.
Paſtinaca. RIV. T. 6.
Paſtinacae genus erraticum, umbellis luteis. CAM. *epit.*
β. Paſtinaca ſativa latifolia. BAVH. *pin.* 155.

In Europae auſtralioris ruderatis et paſcuis.

16. SE-

Digitized by Google

16. SELINVM, *Opopanax.*
Selinum foliis decompoſitis pinnatis. L.
Panax coſtinum. BAVH. *pin.* 156.

In Italia, Sicilia.
Hoc hic ſcriptum auctoritate LINNAEI.

17. SELINVM *Anethum.*
Selinum caule glabro, ſeminum margine minimo.
Anethum hortenſe. BAVH. *pin.* 147.

Inter Luſitaniae, et Hiſpaniae ſegetes.

4. THAPSIA. Semen. Tab. I. Nro. 4.

Fructus ſolis alis marginalibus foliaceis latiſſimis, utrimque introrſum plerumque emarginatis, oblongus. Adde Involucra nulla, petala lanceolata, quae ſuadet LINNAEVS.

1. THAPSIA *villoſa.*
Thapſia, foliolis dentatis, villoſis, baſi coadunatis. *Hort. Cliff.* 105. ROY. *Lugdb.* 113.
Thapſia latifolia villoſa. BAVH. *pin.* 148.
Thapſia I. CLVS. *Hiſt.* II. p. 192.

In Hiſpania, Luſitania, Gallo-provincia, Cetio Monſpelienſi.

2. THAPSIA *foetida.*
Thapſia foliolis multifidis auguſtatis. L. ROY. *Lugdb.* 113.
Thapſiae carotae folio. BAVH. *pin.* 148.
Thapſia carotae effigie. BAVH. *hiſt.* III. p. 187. MORIS. III. p. 319. S. 9. T. 18. F. 7.

In Hiſpania.

3. THAPSIA *Aſclepium.*
Thapſia foliis digitatis: foliolis bipinnatis, ſetaceo-multifidis. L. ROY. *lugdb.* 113.

Tha-

Thapſia foliis pinnatifidis linearibus ad pedunculum communem radiatis. ROY. *Lugdb.* 114.
Thapſia tenuifolia, petiolis radiatis. MORIS. III. p. 319. S. 9. T. 18. F. 9.
Thapſia Turbith garganicum, ſemine latiſſimo. BAVH. *hiſt.* II. p. 50.
Panax Aſclepium, ſemine folioſo. BAVH. *pin.* 158.
Panax Aſclepium apulum. COLVMN. *ecphr.* I. p. 87. T. 86.

In Apulia, Oriente.

* Thapſia foeniculi folio. BAVH. *pin.* quid?

4. THAPSIA *trifoliata.*
Thapſia foliis ternatis ovatis. L.
Sium folio infimo cordato caulinis ternatis: omnibus crenatis. GRON. *virg.* 31.

In Virginia.

Obſervatio. Semina ſingula gaudent alis quinque longitudinalibus membranaceis. An ad Laſerpitium potius, aut Liguſticum ſpectat? donec definitum ſit, ſto auctoritati LINNAEI.

II. Semen tum alis marginalibus tum dorſalibus.

5. ANGELICA. Semen Tab. I. No. 5.

Fructus alis marginalibus et dorſalibus, ſed dorſalibus ſupra nucleum fungoſum, globoſum abſciſſis. Adde flores regulares, involucra utraque plerumque polyphylla parva.

1. AN-

1. ANGELICA *Archangelica.*
Angelica foliorum impari lobato. L. ROY. *Lugdb.* 103.
Angelica ſativa. BAVH. *pin.* 155.
Angelica maior. DOD. *pempt.* 318.

In Alpibus Lapponiae ad rivulos.

2. ANGELICA *atropurpurea.*
Angelica extimo foliorum pari coadunato: foliolo terminali petiolato. ROY. *Lugdb.* 103.
Angellica canadenſis atropurpurea. CORN. *canad.* 198. T. 199.

In Canada.

3. ANGELICA *lucida.*
Angelica foliolis aequalibus ovatis inciſo-ſerratis. *Hort. Cliff.* 97. ROY. *Lugdb.* 103.
Angelica lucida canadenſis. CORN. *canad.* 196. T. 197. MORIS. III. p. 281. S. 9. T. 3. F. 8.

In Canada.

6. LASERPITIVM. Semen T. 1. Nro. 6.

Fructus alis marginalibus et dorſalibus integris vel criſpis, molendinaceus, non fungoſus, oblongus. Adde flores regulares; involucra plerumque utraque polyphylla parva.

1. LASERPITIVM *latifolium.*
Laſerpitium foliis cordatis inciſo ſerratis. L.
α. Laſerpitium foliis cordatis inciſo ſerratis glabris. CRANTZ. *Faſc.* III.
Seſeli aethiopicum. MATTH. CAM. *epit.* DOD. *pempt.* CLVS. *hiſt.*
Laſerpitium. RIV. T. 21.
Laſerpitium lobis latioribus ſemine criſpo, et verucoſo. MORIS. III. S. 9. T. 19. F. 1. et.

E Laſer-

Laſerpitium lobis latioribus, ſemine plano. EIVSD. T. 19. F. 6.

In ſubalpinis Auſtriae, et Europae nemoribus ſiccis.

β. Laſerpitium foliis cordatis, inciſo-ſerratis, foliorum dorſo petioliſque hirſutis. CRANTZ. *Faſc.* III. *icon* T. 1. F. 2 *folium.*

Laſerpitium foliolis oblique cordatis, petiolis hirſutis; hinc Chironium LINNAEI, non vero Synonima.

In Auſtria.

Obſervatio. Glabram et hirſutam Laſerpitii latifolii coniungo ſpeciem, cum nullos inter eas inveniam limites.

2. LASERPITIVM *Gallicum.*

Laſerpitium foliolis cuneiformibus furcatis. L.

Laſerpitium foliolis ramuloſis ſeſſilibus. ROY. 101.

Laſerpitium foliolis quinquelobis. L.

Laſerpitium e regione Maſſiliae allatum. BAVH. *hiſt.* III. p. 137.

In Europa auſtrali, in littorali Auſtriaco.

Hoc hic ſcriptum auctoritate LIN. et MORIS.

3. LASERPITIVM *anguſtifolium.*

Laſerpitium foliolis lanceolatis, integerrimis, ſeſſilibus. L.

Laſerpitium anguſtifolium ſegmentis indiviſis. MORIS. III. S. 9. T. 19. F. 9.

In Europa auſtrali.

4. LASERPITIVM *Selinoides.*

Laſerpitium primis caulis geniculis pedunculiſque hiſpidis; ſeminum alis dorſalibus ſaepe pygmaeis. CRANTZ. *umbellif.*

Laſer-

Laſerpitium foliolis lanceolatis integerrimis: extimis coalitis. L.
Laſerpitium foliis radicalibus patentiſſimis. ROY. *Lugdb.* 103.
Laſerpitium daucoides prutenicum, viſcoſo ſemine. BREYN. *Cent.* 167. T. 84. *bona.*
Laſerpitium minus. T. 23. RIV.

In Boruſſia, Saxonia, Auſtria.

5. LASERPITIVM *peucedanoides.*
Laſerpitium foliolis lineari - lanceolatis venoſo-ſtriatis diſtinctis. SEGVI. *Veron.* 3. T. 17.
Laſerpitium exoticum, lobis anguſtiſſimis integris. PLVK. *alm.* 207. T. 96. F. 2.

In Baldi valle vaccaria.

* Laſerpitium *ferulaceum* cum ſemine angulato fungoſo, potius Cachrys eſt.

6. LASERPITIVM *Halleri?*
Laſerpitium alpinum extremis lobulis breviter multifidis. HALL. *helv. icon elegans.*

In Helvetiae Gottardo, Scheideck.

Obſervatio. Quaſi ſtudio omiſit in nova ſpecierum ſuarum editione hanc plantam LINNAEVS, ſed an non potius ad Chaerophyllum noſtrum ſpectat, aut ad Liguſticum? nam iam evidentibus praecidentium alis marginalibus videtur deſtitui.

7. LASERPITIVM *Krapffii.*
Laſerpitium foliis laurinis, trilobis, inciſis CRANTZ. *umbel.* III.

In territorio Tergeſtino.

8. LASERPITIVM *Mutellinoides.*

Digitized by Google

Laſerpitium foliis multifidis lanceolatis, radiis umbellae tridentatis. HALL. *Act. Helv.* Vol. V.

In monte Iavernaz, Enzeinda, et aliis Helvetiae.

III. Semen evidentioribus alis marginalibus carens, ſed aut coſtis, aut ſtriis inſtructum.

I. NVDIS.

Excipe nonnullas Smyrnii, Chaerophylli ſpecies armatas :

I. Fructu tum lato, tum longo.

7. SILER Semen Tab. I. N. 7.

Fructus oblongus, latus, gibbus, coſtis membranaceis plerumque octo, aut pluribus, Flores regulares, involucra plerumque utraque, polyphylla, parva.

1. SILER *montanum* offic.
   Siler foliis integris, longe ellipticis, ſine aculeatis. CRANTZ. *Faſc.* III.
   Siler montanum. MORIS. III. S. 9. T. 3. F. 1. *optima cum venis et glabritie foliorum.*
   Liguſticum quod Seſeli officinarum. C. BAVH. *pin.* 162.
   Seſeli. BLACKW. T. 426.

In Auſtria, Helvetia, Gallia.

2. SILER *trilobum.*
   Siler foliis trilobis, inciſis, duris.
   Angelica foliolis tripartitis, lobis ſuperne inciſis obtuſis. ROY. 104.

Siler

Siler aquilegiae foliis. MORIS. III. S. 9. Tab. 3. F. 3.

In cecio Auſtriae et in gargano monte.

3. SILER *Chironium.*
Siler foliolis oblongis, oblique cordatis, petiolis hirſutis.
Panax paſtinacae folio. Panaces peregrinum. DOD. MORIS. III. S. 9. T. 17. F. 1.
Panaces peregrinum. DOD. *pempt.* 309.

Monſpelii.

* *An huc non revocandae ſequentes plantae?*

1. PANAX ſphondylii folio ſive Heracleum. C. B. *pin.* MORIS. III. S. 9. T. 17. F. 3.
2. SESELI frutex aethiopicum. DOD. PARKIN. MORIS. III. S. 9. T. 6. F. 1. quod ad Bupleura revocavit LINNAEVS.

8. CRITHMVM Semen T. I. N. 8.

Fructus ovalis compreſſus. Flores regulares, fertiles, petalis planiuſculis. Involucra polyphylla reflexa.

1. CRITHMVM *maritimum.*
Crithmum foliolis lanceolatis carnoſis. L.
Crithmum maritimum foeniculum minus. BAVH. *pin.* 288.
Foeniculum marinum ſ. Empetrum, ſ. Calcifraga. LOB. *ic.* 392.

Ad Oceani Europaei littora.
Auctoritate LINNAEI.

2. CRITHMVM *pyrenaicum?*
Crithmum foliolis lateralibus bis trifidis. L.

Apium pyrenaicum Thapſiae facie. TOVR. *Inſtit.* 305.

Seſeli pyrenaicum Thapſiae facie. HERM. *parad.* 229. *ic.*

In Pyrenaeis.

Obſervatio. LINNAEI auctoritate hanc plantam hic reliqui, ſed vereor, ut pura auctoritate in generis charactere non fundata egerim; cum enim ad Apium reduxiſſet TOVRNEFORTIVS, Seſeli intuliſſet FAGONIVS, ultimo demum HERMANNVS, non videtur huius plantae fructus, ut prioris, ovalis, compreſſus eſſe, de qua re iudicent, qui plantam poſſident, videantque, quam firma LINNAEI ſint genera.

9. FERVLA Semen T. I. N. 9.

Fructus amplus ovalis, utrinque compreſſo-planiuſculus, ſtriis dorſo 6, aut pluribus notatus. Flores regulares, fertiles, petalis cordatis.

1. FERVLA *communis.*

Ferula foliolis linearibus longiſſimis, ſimplicibus. L.

Ferula femina Plinii. BAVH. *pin.* 148.

Ferula. DOD. *pempt.* 321.

In Europa auſtrali.

Auctoritate DODONAEI.

2. FERVLA *glauca.*

Ferula foliis ſupra decompoſitis: foliolis lanceolato-linearibus, planis. L.

Ferula folio glauco: ſemine lato oblongo. BAVH. *Hiſt.* III. p. 45.

In

In Sicilia, Italia.

Auctoritate LINNAEI.

3. FERVLA *tingitana.*

Ferula foliolis laciniatis: lacinulis tridentatis inaequalibus nitidis. L.

Ferula tingitana lucido folio, Apii ſegmentis. BREYN. *prodr.* II.

Ferula tingitana lucida. HERM. *parad.* p. 165. *ic.*

In Hiſpania, Barbarea.

4. FERVLA *Ferulago.*

Ferula foliis pinnatifidis: pinnis linearibus, planis, trifidis. L.

Ferula latiore folio. MORIS. III. S. 9. T. 15. F. 1.

Ferulago latiore folio. BAVH. *pin.* 148.

In Sicilia.

Auctoritate LINNAEI, ſed ſemina MORISONI quinque ſtrias habent.

5. FERVLA *orientalis.*

Ferula foliorum pinnis baſi nudis, foliolis ſetaceis. L.

Ferula orientalis, folio, et facie Cachryos. TOVR. *iter.* T. 2. p. 154. *icon.*

In Oriente.

Auctoritate LINNAEI.

6. FERVLA *meoides.*

Ferula foliorum pinnis utrinque appendiculatis, foliolis ſetaceis. L.

Laſerpitium orientale folio mei, flore luteo. TOVR. *cor.* 23.

In Oriente.

Auctoritate LINNAEI.

Digitized by Google

7. FERVLA *nodiflora.*
Ferula foliolis appendiculatis, umbellis ſubſeſſilibus. L.
Libanotis ferulae folio et Semine. BAVH. *pin.* 158.
Panax Aſclepium, Ferulae facie. LOB. *ic.* 783.

In Europa auſtrali, Iſtria.

Auctoritate LINNAEI.

8. FERVLA *canadenſis.*
Ferula lucida canadenſis. GRON. *virg.* 147.

In Virginia.

Auctoritate LINNAEI.

9. FERVLA *Aſſa foetida* offic.
Ferula foliolis alternatim ſinuatis, obtuſis. L.
Aſſa foetida diſgunenſis umbellifera Liguſtico affinis. KAEMPF. *amoen.* T. 536.

In Perſia.

Auctoritate LINNAEI.

10. SMYRNIVM. Semen T. I. Nro. 10.

Fructus plus minusve ſubgloboſus, frequenter amplus, craſſus, cortice cinctus fungoſo, aut angulato et ſuberoſo aut ſtriato. Flores regulares.

* *Involucris utrisque, Semine angulato.*

1. SMYRNIVM *Libanotis.*
Smyrnium foliis bipinnatis: foliolis acutis multifidis, ſeminibus ſulcatis levibus. ex LIN.
Libanotis ferulae folio, ſemine anguloſo. C. BAVH. *pin.* 158.

Cachrys

Digitized by Google

Cachrys ſemine fungoſo, ſulcato, plano minore, foliis Peucedani anguſtis. MORIS. III. S. 9. T. 1 F. 6.

In Sicilia, et Monſpelii.

2. SMYRNIVM *hiſpidum.*
Smyrnium foliis bipinnatis: foliolis lineari--acutis, feminibus ſulcatis hiſpidis, ex L.
Cachrys ſemine fungoſo ſulcato âſpero, foliis peucedani latiuſculis. MORIS. III. S. 9. T. 1. F. 3.
Hippomarathrum creticum. BAVH. *prodr.* 76.
Hippomarathrum ſiculum. BOCC. *ſic.* 37.

In Sicilia, Hiſpania.

3. SMYRNIVM *Laſerpitioides.*
Smyrnium foliolis linearibus fructu, amplo, fungoſo, alato.
Cachrys orientalis ferulae folio tenuiore, fructu alato plano. TOVR. *iter.* T. 2. p. 121. *icon.*

In Oriente.

** *Involucris nullis, ſemine ſtriato.* Auctoritate LIN.

4. SMYRNIVM *perfoliatum.*
Smyrnium foliis caulinis ſimplicibus amplexi-caulibus. LIN. ROY. *Lugdb.* 114.
Smyrnium peregrinum rotundo ſ. oblongo folio. BAVH. *pin.* 154. *prodr.* 82.
Smyrnium amani montis. DOD. *pempt.* 698.

In Italia, Creta.

5. SMYRNIVM *aegyptiacum.*
Smyrnium foliis floralibus binis, ſimplicibus, cordatis, integerrimis. *Amoen. acad.* 4. p. 270.

In Aegypto.

Digitized by Google

6. SMYRNIVM *Oluſatrum.*

Smyrnium foliis caulinis, ternatis petiolatis, ſerratis. *Hort. Cliff.* 105. ROY. *Lugdb.* 114.

Hippoſelinum Theophraſti ſ. Smyrnium Dioſcoridis. BAVH. *pin.* 154.

Hippoſelinum. DOD. *pempt.* 698.

In Scotia, Wallia, Gallia, Hiſpania, Belgio.

7. SMYRNIVM *aureum.*

Smyrnium foliis pinnatis ſerratis, poſticis ternatis, floſculis omnibus fertilibus.

Aegopodium foliis caulinis ſummis novenis. *Hort. Cliff.* 107. ROY. *Lugdb.* 115.

Angelica acadienſis, flore luteo. DOD. *act.* 55.

Angelica humilior, et minor, flore luteo. MORIS. *hiſt.* III. p. 281.

β. Smyrnium foliis caulinis decompoſitis, acuminatis. GRON. *virg.* 148.

Smyrnium aureum, lobis ternis quinisve, marianum. PLVK. *mant.* 173.

In America boreali.

Auctoritate LINNAEI.

8. SMYRNIVM *integerrimum.*

Smyrnium foliis caulinis, duplicato-ternatis, integerrimis.

Smyrnium foliis caulinis ternatis petiolatis: foliolis oblongo-ovatis integerrimis.

In Virginia.

Auctoritate LINNAEI.

II. Lon-

Digitized by Google

II. Longo magis, quam lato, hinc roſtrato, elongato, ovato, cylindrico.

II. CHAEROPHYLLVM Semen Tab I. F. II.

Fructus plus minusve roſtratus aut in acum terminatus, elongatus, aut anguloſus, aut glaber, in multis ſpina, fructu dehiſcente aut delapſo, in radio perſtans. Involucra, dum univerſalia variant, partialia conſtantia.

* *Floribus radiatis* ex Sentent. LIN.

1. CHAEROPHYLLVM *odoratum*.

Chaerophyllum ſeminibus ſulcatis angulatis. *Hort. Cliff.* 101. ROY. *Lugdb.* 111. Umbellarum diſco maſculo.

Myrrhis maior, Cicutaria odorata. BAVH. *pin.* 160.

Myrrhis. DOD. *pempt.* 701.

In alpibus Alvarniae inque confinibus agri Veronienſis, et Vicentini.

2. CHAEROPHYLLVM *Pecten Veneris*.

Chaerophyllum ſeminibus, laevibus roſtro longiſſimo. *Hort. Cliff.* 101. ROY. *Lugdb.* 111. ſub nomine ſcandix.

Scandix ſemine roſtrato, vulgaris. C. BAVH. *pin.* 152.

Pecten Veneris. CAM. *epit.* 302.

Inter Germaniae et Europae auſtralioris ſegetes.

3. CHAEROPHYLLVM *Cerefolium*.

Chae-

Chaerophyllum ſeminibus nitidis ovato-ſubulatis, umbellis ſeſſilibus lateralibus. L.

Chaerophyllum ſeminibus laevibus, umbellis ad nodos ſeſſilibus. BOEHM. *Lipſ.* 492.

Chaerophyllum ſativum. C. BAVH. *pin.* 152.

Chaerefolium. DOD. *pempt.* 700.

In agris et arvis Europae auſtralioris.

Obſervatio. Non videtur adeo ad hanc, quam ad ſequentem ſpectare diviſionem, ſed LINNAEI auctoritate inductus reliqui.

4. CHAEROPHYLLVM *Anthriſcus.*

Chaerophyllum ſeminibus ovatis hiſpidis, corollis uniformibus, caule laevi.

Scandix ſeminibus hiſpidis. *Hort. Cliff.* 101. ROY. *Lugdb.* III. 242. 256.

Myrrhis ſylveſtris, ſeminibus aſperis. C. BAVH. *pin.* 160.

Myrrhis ſylveſtris aequicolorum. COLVMN. *ecphr.* 1. p. 110. T. 112.

In Europae aggeribus terrenis.

5. CHAEROPHYLLVM *auſtrale.*

Chaerophyllum ſeminibus ſubulatis hiſpidis, floribus radiatis, caulibus laevibus.

Scandix ſeminibus roſtratis, petalis pedunculo brevioribus. SAVV. *monſp.* 260.

Scandix cretica minor. C. BAVH. *pin.* 152.

Scandix, ſemine roſtrato, italica. C. BAVH. *prodr.* 78.

Aniſomarathrum. COL. *ecphr.* 1. p. 89. T. 90.

In Gallia Narbonenſi, Italia, Creta.

6. CHAEROPHYLLVM *nodoſum.*

Chaerophyllum ſeminibus ſubcylindricis hiſpidis, caule hiſpido, geniculis tumidis.

Chaerophyllum articulis tumidis, umbella univerſali trifida. *Hort. Cliff.* 102. ROY. *Lugdb.* 112.

Cere-

Digitized by Google

Cerefolium annuum nodoſum, ſemine aſpero maiore. MORIS. III. p. 303. S. 9. T. 10. F. 4.
Myrrhis nodoſa annua, ſemine aſpero. MORIS. *blaeſ.* 288.

In Sicilia.

7. CHAEROPHYLLVM *grandiflorum.*
Chaerophyllum ſeminibus pedunculo villoſo brevioribus. ROY. *Lugdb.* 111. Sub nomine ſcandix.
Scandix orientalis, flore maximo. TOVR. *cor.* 23.

In Oriente.

8. CHAEROPHYLLVM *procumbens.*
Chaerophyllum ſeminibus nitidis ovato-ſubulatis, foliis decompoſitis.
Cerefolium virginianum procumbens fumariae foliis. MORIS. III. p. 303. S. 9. T. 11. F. *ult.*

In Virginia.

** *Floribus regularibus.*

9. CHAEROPHYLLVM *ſylveſtre.*
Chaerophyllum caule ſulcato: ſeminibus laevibus, nigris, non ſtriatis. CRANTZ. *Faſc.* III.
Chaerophyllum ſeminibus laevibus nitidis, nervo foliorum ſubhirſuto. HALL. *helv. ſpec.* 2.
Chaerophyllum ſeminibus laevibus nitidis, petiolis rameis aequalibus. *Hort. Cliff.* 101. ROY. *Lugdb.* 112.
Chaerophyllum ſylveſtre perenne, cicutae folio. TOVR. *inſtit.* 114.
Myrrhis ſylveſtris, ſeminibus laevibus. C. BAVH. *pin.* 160.
Cicutaria vulgaris. DOD. *pempt.* 701.

In Europae pomariis, et cultis.

10. CHAEROPHYLLVM *bulboſum.*

Chaero-

Digitized by Google

Chaerophyllum caule maculato: inferne hiſpido, ſuperne glabro, radice bulboſa. CRANTZ. *Faſc.* III.

Cicutaria pannonica. CLVS. *Hiſt.* II. p. 200.

Myrrhis foliis glabris, radice rodunda carnoſa. HALL. *Helv. ſpec.* 3.

Chaerophyllum radice turbinata carnoſa. L.

Myrrhis foetens. RIV. T. 50.

In Germania, Auſtria, Hungaria, Helvetia, Norvegia.

11. CHAEROPHYLLVM *Temulum.*

Chaerophyllum caule maculato ſcabro, geniculis tumidis, umbellis floridis declinatis. CRANTZ. *Faſc.* III.

Myrrhis annua vulgaris caule fuſco. MORIS. III. p. 202. S. 9. T. 10. F. 7.

Myrrhis: RIV. T. 49.

Myrrhis pinnulis ſemi-pinnatis, ordinatim decreſcentibus. HALL. *helv. ſpec.* 1.

Chaerophyllum caule maculato: geniculis tumidis. L.

Ad Europae arvos, vias, et ſepes.

12. CHAEROPHYLLVM *aureum.*

Chaerophyllum caule aequali, foliolis inciſis, ſeminibus coloratis ſtriatis. L.

Myrrhis perennis alba minor, foliis hirſutis, ſemine aureo. MORIS. *umb.* 282. RVPP. *ien.* 3. p. 282. T. 5.

Myrrhis radice lignoſa perenni, foliis hirſutis, ſeminibus flavis obſcure ſtriatis. HALL. *Goett.* 184.

In Germania.

13. CHAEROPHYLLVM *hirſutum.*

I. Chae-

Digitized by Google

I. Chaerophyllum caule aequali, ſeminum ſtriatorum corniculis maxime diſtantibus. CRANTZ. *Faſc.* III.
Chaerophyllum caule aequali petalis ciliatis.
Myrrhis paluſtris. RIV. T. 51.
Cicutaria latifolia hirſuta. I. B. III.
Cicutaria paluſtris latifolia alba et rubra. C. B. *pin.* 161.
Chaerophyllum caule aequali, foliolis inciſis acutis, ſeminibus ſubulatis. L.
Myrrhis ſeminibus ſtrictis longiſſimis. HALL. *helv. ſpec.* 4.
II. Chaerophyllum caule inferne hiſpido, ſuperne glabro: ſeminum ſtriatorum corniculis maxime diſtantibus.

In Alpibus Helvetiae, Auſtriae utrumque.

14. CHAEROPHYLLVM *aromaticum.*
Chaerophyllum caule aequali, foliolis cordatis, ſerratis, integris.
Chaerophyllum foliolis lanceolato-ovatis, ſerratis, integris. L. ROY. *Lugdb.* 112.
Cerefolium, rugoſo angelicae folio, aromaticum. BOCC. *muſ.* 2. p. 29. T. 19.
Angelica podagrariae folio. RIV.
Angelica ſylveſtris hirſuta inodora. C. BAVH. *pin.* 156.

In Luſitania, Miſnia.

15. CHAEROPHYLLVM *arboreſcens.*
Chaerophyllum fruticoſum.
Cicuta arbor virginiana. PLVK. *mant.* 49.
Cicutaria arbor virginiana. RAI. *ſuppl.* 257.

In Virginia.

16. CHAEROPHYLLVM *canadenſe?*
Chaerophyllum foliis ternatis, umbellis ſub 4-fidis, nudis.

Myrrhis

Digitized by Google

Myrrhis canadenſis trilobata. MORIS. III. S. 9. T. 11. F. 4.
Myrrhis canadenſis. RIV. T. 53.

In America ſeptentrionali.
Auctoritate MORISONI, Aliorum.

12. LIGVSTICVM Semen T. I. Nro. 12.

Fructus oblongus, coſtis aut ſtriis percurſus, in hac ſectione poſt Chaerophyllum longiſſimus, nullo modo vero roſtratus.

* *Semen coſtis angulofis angulis utrimque quinque.*

α * *Involucris plerumque utrisque.*

1. LIGVSTICVM *Leviſticum* offic.

Liguſticum foliis multiplicibus: foliolis ſuperne inciſis. *Hort. Cliff.* 97. ROY. *Lugdb.* 104.
Liguſticum vulgare. BAVH. *pin.* 157.
Leviſticum vulgare. MORIS. III. p. 275. S. 9. T. 3. F. 1.

In Apenninis Liguriae.

2. LIGVSTICVM *ſcothicum.*

Liguſticum foliis biternatis.
Liguſticum foliis duplicato-ternatis. *Hort. Cliff.* 97. ROY. *Lugdb.* 104.
Liguſticum humilius ſcothicum. PLVK. *alm.* 217. T. 96. F. 2.
Apium maritimum. *Fl. Lapp.* 107.
Seſeli maritimum ſcothicum. HERM. *par.* 227. T. 227.

Ad littora maris in Anglia, Suecia, Canada.

Invo-

Digitized by Google

Involuc. utrumque deeſt in figura HERM. et videtur potius ſpectare ad ſiler, tamen auctoritate LINNAEI hic reliqui.

3. LIGVSTICVM *cornubienſe.*
Liguſticum foliis decompoſitis inciſis: radicalibus ternatis lanceolatis integerrimis. *Amoen acad.* 4. p. 310.
Smyrnium tenuifolium noſtras. RAI. *ſuppl.* 254. *angl.* 3. p. 209. T. 8.
Saxifraga cornuibae. PET. *herb.* T. 26. F. 9.

In Cornubia.
Ex auctoritate LINNAEI.

4. LIGVSTICVM *peloponneſiacum.*
Liguſticum foliis multiplicato-pinnatis: foliolis pinnatim inciſis. L.
Cicutaria latifolia-foetida. BAVH. *pin.* 161.
Seſeli peloponneſenſe. CAM. *epit.* 514.

In Peloponneſiacis et Rhaeticis montibus nemoroſis.

5. LIGVSTICVM *auſtriacum.*
Liguſticum foliis bipinnatis confluentibus anteriori nervo fiſtuloſo. CRANTZ. *Faſc.* III.
Liguſticum foliis bipinnatis: foliolis confluentibus, inciſis, integerrimis. L.
Seſeli montanum, cicutae folio, glabrum. C. BAVH. *pin.* 161.
Seſeli primum, montanum pannonicum I. CLVS. II. p. 193. *icon egregia.*

In Auſtriae alpinis.

6. LIGVSTICVM *chinenſe.*
Liguſticum ſeminibus membranaceo-coſtatis, foliis ſupradecompoſitis, laevibus, multifidis ex LIN.

In China?

F Obſer-

Obſervatio. Si ſemen Athamantae characterem LINNAEI ſuſtinet, et ſeminis mei ſimilitudinem habeat, omnio huc ſpectat. Sed cur LINNAEVS figuram ſeminum non determinat, et mancas ſemper novarum ſpecierum deſcriptiones ſuppeditat?

7. LIGVSTICVM *Meum.*

Liguſticum foliolis capillaribus.
Meum foliis anethi. C. BAVH. *pin.* 148.
Meum. RIV. T. 63.

In Alpibus Auſtriae, Helvetiae, Italiae, Hiſpaniae.

8. LIGVSTICVM *mutellina.*

Liguſticum foliolis acute multifidis, caule ſubnudo. CRANTZ. *Faſc.* III.
Meum alpinum umbella purpuraſcente. C. B. 148.
Seſeli caule vix ramoſo, umbella purpurea, pinnulis acute multifidis. HALL. *helv.* 431.
Daucus montanus. CLVS. II. p. 198.

In Alpibus Auſtriae, Carnioliae, Helvetiae.

9. LIGVSTICVM *cuminum.*

Liguſticum involucris, umbellulisque quadrifidis.
Cuminum ſemine longiore. C. BAVH. *pin.* 146.
Cuminum ſativum. CAM. *epit.*

In Aegypto, Aethiopia.

β ** *Involucris nullis.*

10. LIGVSTICVM *foeniculum* offic.

Liguſticum foliolis linearibus longis.
Foeniculum dulce. C. BAVH. *pin.* 147.
β. Foeniculum dulce germanicum. C. BAVH. *pin.* 147.

γ. Foe-

Digitized by Google

γ. Foeniculum vulgare italicum ſemine oblongo, guſtu acuto. C. BAVH. *pin.* 147.
δ. Foeniculum ſylveſtre. C. BAVH. *pin.* 147.

In Narbonae, Aremoriae, Maderae rupibus cretaceis.

11. LIGVSTICVM *Podagraria.*
Liguſticum foliis caulinis ſummis ternatis, radice repente. CRANTZ. *Faſc.* III.
Podagraria. HALL. *helv.* 427. RIV. T. 47.
Angelica ſylveſtris minor ſ. erratica. C. BAVH. *pin.* 155.
Herba Gerardi. DOD. *pempt.* 320.

In Europae pomariis.

** *Coſtis vix angulosis, ſed ſolum ſtriatis, aut laevibus.*

12. LIGVSTICVM *peregrinum.*
Liguſticum umbellae primariae involucro ſubnullo, lateralibus baſi membranaceis: radiis ſubramoſis.

In Luſitania.
Auctoritate LINNAEI.

13. LIGVSTICVM *Phellandrium.*
Liguſticum aquaticum foliorum ramificationibus divaricatis.
Phellandrium. DOD. *pempt.* 580. *icon bona.*
Cicutaria paluſtris tenuifolia. C. BAVH. *pin.* 161.
Cicutaria paluſtris. LOB. *ic.* 735.
β. Millefolium aquaticum umbellatum, coriandri folio. C. BAVH. *pin* 216.
Millefolium aquaticum. MATTH. dioſc. 2. p. 484.

In Europae foſſis. β. in fluviis profundioribus.

14. LIGVSTICVM *bulbocaſtanum.*
Liguſticum involucris ſetaceis radice bulboſa.

Bulbocaſtanum maius folio apii. C. BAVH. *pin.* 162.
Nucula terreſtris. LOB. *hiſt.* 429. MORIS. III. S. 9. T. 2. F. 1.
Oenanthe prima. CAM. *epit.* p. 609. *icon, ſed ſine involucris.*

In Germaniae, Angliae, Galliae ſaxoſis.

Obſervatio. An non potius ad Chaerophylla?

13. OENANTHE. Semen T. I. Nro. 13.

Fructus ex cylindrico aut ovato-anguloſus, coronatus, corniculis exſtantibus rigeſcentibus, diſtinctiſſimus a tota gente, vide MORISONI figuras Tom. III. S. 9. T. 7. His adde radices in multis Aſphodeli in morem bulboſas, flores plerumque radiatos, involucra partialia conſtantia, univerſale varians.

1. OENANTHE *fiſtuloſa.*
Oenanthe ſtolonifera, foliis caulinis pinnatis, filiformibus, fiſtuloſis.
Oenanthe foliis caulinis fiſtuloſis teretibus. *Hort. Cliff.* 99. HALL. *helv.* 432.
Oenanthe aquatica. C. BAVH. *pin* 162.
Oenanthe. RIV. T. 66.

In Europae foſſis, paludibus.

2. OENANTHE *crocata.*
Oenanthe foliis omnibus multifidis, obtuſis, ſubaequalibus. *Hort. Cliff.* 99. ROY. 107.
Oenanthe chaerophylli foliis. C. BAVH. *pin.* 162.
Oenanthe cicutae facie, ſucco viroſo crocante. LOB. *adv.* 326. *Act. angl.* 1747. n. 480. p. 235. T. 3.

In Europae paludibus.

3. OE-

Digitized by Google

3. OENANTHE *prolifera*.
Oenanthe umbellularum pedunculis marginalibus longioribus, ramoſis maſculis. L.
Oenanthe floſculis diſci ſeſſilibus, radii pedunculo ramoſo elevatis. *Vir. Cliff.* 24. ROY. *Lugdb.* 108.
Oenanthe floſculis radiantibus umbellarum proliferis. *Hort. Cliff.* 99.
Oenanthe prolifera apula. C. BAVH. *pin.* 163. MORIS. III. p. 289. S. 9. T. 7. F. 5.

In Sicilia, Apulia.

4. OENANTHE *globuloſa*.
Oenanthe fructibus globoſis. *Hort. Cliff.* 99. ROY. *Lugdb.* 108.
Oenanthe Luſitanica, ſemine craſſiore globoſo. TOVR. *inſtit.* 313.

In Luſitania.

5. OENANTHE *pimpinelloides*.
Oenanthe foliolis radicalibus cuneatis fiſſis: caulinis integris, linearibus, longiſſimis, canaliculatis. *Hort. Cliff.* 99. ROY. *Lugdb.* 108.
Oenanthe apii folio. C. BAVH. *pin:* 162.
Oenanthe paſtinacae ſylveſtris folio, ſemine atriplicis. BAVH. *pin.* 162.
Oenanthe aquatica pimpinellae ſaxifragae diviſura. PLVK. *alm.* 268. T. 49. F. 4. *mala.*

Monſpelii, et Europa auſtrali.

6. OENANTHE *rigida*.
Oenanthe foliis pinnatis, foliolis lanceolatis, ſubintegerrimis, floribus parvis.
Pimpinella foliolis lanceolatis, glabris, acuminatis, ſaepius integerrimis, rarius ſerratura notatis. GRON. *virg.* 32.
Oenanthe maxima virginiana, paeoniae feminae foliis. MORIS. III. p. 288. S. 9. T. 7. F. 1.

Digitized by Google

In Virginia.

Obſervatio. Mirandum hanc plantam Oenanthe exemptam, ſiis a LINNAEO illatam eſſe, diſtinctiſſimo Oenanthes ſemine praeditam.

14. BVPLEVRVM. Semen T. I. Nro. 14.

Fructus profunde ſulcatus, lateribus in pleriſque compreſſis. Involucrum univerſale raro deeſt: particulare ab 1-5, foliola conſtantius. Flores regulares lutei, cum foliis in tota hac familia integris, non infimae ſunt notae.

* *Herbacea.*

1. BVPLEVRVM *rotundifolium.*
   Bupleurum involucris univerſalibus nullis, foliis perfoliatis. L.
   Bupleurum foliis ovatis perfoliatis. L. HALL. *helv.* 437.
   Perfoliata vulgatiſſima arvenſis. C. BAVH. *pin.* 277.
   Perfoliata. DOD. *pempt.* 104.

   β. Perfoliata minor, ramis inflexis. C. BAVH. *pin.* 277. *prodr.* 130.
   Perfoliata flore multiplici. C. BAVH. *pin.* 277.
   Perfoliata criſpa ſ. muſcoſa. CAM. *hort.* T. 37.

Inter Europae auſtralis ſegetes.

2. BVPLEVRVM *ſtellatum.*
   Bupleurum involucellis coadunatis, univerſali triphyllo.
   Bupleurum alpinum, anguſtis nervoſis foliis, calyce univerſali leviter inciſo. HALL. *helv.* 438. T. 10.

Per-

Perfoliata alpina anguſtifolia media. BAVH. *pin.* 277. *prodr.* 129. BVRS. VI: 5.

In Alpibus Helveticis.

3. BVPLEVRVM *petraeum.*

Bupleurum involucellis coadunatis, univerſali pentaphyllo.

Bupleurum foliis anguſtis, et nervoſis, umbella univerſali quinquefolia, peculiari ſexfida, ſtellata. HALL. *helv.* 438.

Perfoliata alpina, gramineo folio. C. BAVH. *pin.* 277.

Sedum petraeum, bupleurifolio. PON: *bald.* 247.

In Alpibus Helvetiae, Baldi.

4. BVPLEVRVM *anguloſum.*

Bupleurum involucellis pentaphyllis, orbiculatis, univerſali triphyllo ovato, foliis amplexicaulibus, cordato-lanceolatis.

Perfoliata alpina anguſtifolia maior, folio anguloſo. C. BAVH. *pin.* 277. *prodr.* 129. BVRS. VI: 4.

